DE MACROBII SATURNALIORUM FONTIBUS CAPITA TRIA ...

Georg Wissowa

MARTINO HERTZ

AUGUSTO REIFFERSCHEID

SACRUM

In inuestigandis Macrobii Saturnaliorum fontibus ut ego prima stipendia mererer casu magis quam consilio factum esse dixeris. etenim cum in longe alio litterarum latinarum campo uersarer et comicorum imprimis Romanorum reliquias, si quid possem, emendare atque inlustrare conarer, ecce uere anni 1878 amplissimus philosophorum ordo, qui est in hac alma Uniuersitate Viadrina, commilitones, quotquot tum antiquis litteris operam nauabant, proposito praemio certare iussit in indagandis Macrobii Saturnaliorum fontibus. quam uirium exercendarum occasionem cum ego ardore quodam iuuenili ductus adripuissem et in arenam descendere ausus essem, perquam feliciter hoc certamen mihi cessit: digna enim uisa est commentatio mea doctissimis iudicibus, quam regio praemio ornarent.[1]) itaque commentationis quam tum iudicibus tradidi partem minorem iteratis curis auctam atque retractatam per hanc scribendi occasionem foras emittere placuit neque eo deterritus sum, quod priusquam hae pagellae in lucem prodirent partem materiae occupatam uidi commentatione Gustaui Kettneri libello scholastico Portensi inserta[2]): qui cum tumultuariam tantum operam se his quaestionibus nauasse et ipse

[1]) Paene pari honore adfectus est, qui unus mecum decertauerat, Hugo Linke amicus.

[2]) ‚Illustri ac uenerabili scholae regiae Misniensi nouarum aedium limen felicissimis auspiciis intranti lubentissimis animis congratulantur faustaque omnia imprecantur scholae Portensis rector et praeceptores. Numburgi 1879‘; insunt p. 9—31: ‚Beobachtungen über die Benutzung des Verrius Flaccus von Gustav Kettner.‘

fateretur et re comprobasset, ego non habui, cur in dissertatione mea multa nouarem; nonnullis tantum locis, ubi e re esse uidebatur, opiniones Kettnerianas in examen uocaui et refellere conatus sum, ubi uero inter nos conueniebat — quod nisi in iis rebus, quae neminem fugere possunt adcuratius in hanc materiam inquirentem, haud saepe usu uenire uidebis — concentum singulis locis adnotare superuacaneum uisum est. ceterum ex quo Ludouicus Janus in Macrobio et emendando et inlustrando laudabilem conlocauit operam nemo continenti disquisitione in inuestigandis Saturnaliorum fontibus uersatus est neque rei multum profuit quod nonnumquam uiri docti alias res agentes quasi in transcursu Macrobium quoque tetigerunt paucisque uerbis absoluere sibi uisi sunt quaestiones haud sane facile expediendas. nemo enim cum ullo fructu in hac fontium indagatione uersabitur, quin ante uiam sibi muniuerit inquirendo, quamnam in uniuersum Macrobius in adhibendis citandisque auctoribus sequatur rationem et consuetudinem. quam ob causam ipsi commentationi praemisi prolegomena, quibus primarias usus Macrobiani leges breuiter enarraui exemplisque paucis, sed, si fieri poterat, luculentis inlustraui. quae ut toti commentationi fundamento esse possent, ut consentaneum est, in prolegomenis iis plerumque Saturnaliorum partibus innisus sum, quarum auctores superstites habemus; plura exempla singulae dissertationis paginae suppeditant.

1. Magnum fuisse auctorum a Macrobio adhibitorum numerum non sine probabilitatis specie concluserunt uiri docti e multifaria rerum uarietate, quae per sermonis conuiualis uices in Saturnalibus enarrantur. tamen uereor ne minis magnae lectionis uirum sibi finxerint Macrobium: minime enim ille is est scriptor, qui rem aliquam enarraturus complures fontes adeat materiamque inde congestam propriis rationibus disponat et uarias singulorum auctorum sententias inter se comparet atque conciliet; immo singulos in singulis rebus narrandis auctores ceteris neglectis Macrobium secutum esse omnibus nominibus exploratum est.

etenim cum iis Gellii[1]) Plutarchique[2]) capitibus, quae Macrobius compilauit, cum ipsis Saturnalibus comparatis adpareat nusquam ibi Macrobium diuersorum auctorum relationes contaminasse, hoc idem in reliquas quoque Saturnaliorum partes, quarum fontes aetatem non tulerunt, ualere paene certum est. omnisque tollitur dubitatio, si quae de una eademque re Macrobius narrat, tam tranquillo sedatoque cursu procedere uidemus talemque ostendere omnium rerum ac sententiarum concentum atque continuationem, qualis oriri numquam poterat, si Macrobius res e compluribus fontibus delibatas conglutinauisset: immo hoc ita tantum recte explicatur ut illum totam narrationem integram ex uno auctore

---

[1]) Indicem locorum Gellianorum a Macrobio excerptorum dedit Janus II 655[a], quibus addas (cf. etiam M. Hertz, Herm. VIII p. 275, 1.) Macr. S. I, 16, 26 = Gell. V, 17, 3—5. Macr. II, 2, 1—4 = Gell. V 5. Macr. II, 2, 15—17 = Gell. XVIIII, 11, 2 sqq. Macr. II, 7, 10—12 = Gell. XVII, 14, 3 sqq. Macr. II, 8, 3 = Gell. XIII, 11, 6 sq. Macr. V, 11, 14—20 = Gell. XII, 1, 13—20. Macr. V, 17, 18 = Gell. XIII, 27, 1 sq., praeterea Macr. I, 4, 17—20 = Gell. VIII 1 et Macr. II, 7, 2—4 = Gell. VIII 5, quae Gellii capita, quamquam nunc deperdita sunt, dubitari nequit, quin a Macrobio compilata fuerint. eximendus est e Jani indice locus Macr. VII, 12, 24 sqq., qui non est depromptus e Gell. XVIIII, 5, 5 sqq., sed per uarias ambages utraque narratio ad eundem fontem, Aristotelis dico problemata, redit; quod non est huius loci persequi. —

[2]) E Plutarchi quaestionibus conuiualibus quid hauserit Macrobius indicat Janus II 662[b], quibus haec habeo quae addam: Macr. VII, 6, 4—14 = Plut. l. c. III 5. Macr. VII, 13, 6—11 = Plut. IIII 8 (quae quaestio periit in nostris libris), Macr. VII, 13, 17—27 = Plut. I 9. ceterum uerissima est R. Volkmanni (obseruationes miscellae [Jauer 1872] p. 3 sqq.) obseruatio, Macrobium habuisse Plutarchi quaestiones conuiuales, quae epitomatoris manum perpessae ad nos peruenisse uidentur (cf. Doehner, quaest. Plutarch. II 32. III 10) nostris multo integriores. praeter eos locos quos Volkmannus composuit haec conferri iubeo: Macrob. VII, 7, 18—20 = Plut. III, 7, 3. Macr. VII, 16, 6 sq. = Plut. II, 3, 2. Macr. VII, 7, 8 = Plut. III, 4, 3. porro scriptorum loci apud Plutarchum aut omissi aut mutilati integri exstant apud Macrobium, ut Macr. VII, 1, 18 = Plut. I, 1, 4. Macr. VII, 2, 15 = Plut. II, 1, 3. Macr. VII, 5, 18 = Plut. IIII, 1, 3. quae omnia ita comparata sunt, ut neque aliunde inserta neque ab ipso Macrobio ficta esse possint, sed nisi ex integriore Plutarchi exemplari explicari nequeant. fortasse non aliter expediendum est, quod Macr. VII, 7, 11 et VII, 16, 30 absunt a Plut. III 4 et III 10.

1*

excerpsisse statuamus.[1]) quod quanto nostro fiat commodo facile adparet, praesertim si comparamus Macrobii rationem cum aliis illorum saeculorum compilatoribus, qui res ex uetustorum doctissimorumque auctorum libris arcessitas adeo inuoluerunt absurdis recentioris aeui fabulis stultisque ipsorum placitis, ut in tanta ineptiarum farragine bona illa ueteris doctrinae frustula, cum probe discerni atque eximi nequeant, inutilia iaceant: unum nominauisse sufficiat Joannem Laurentium Lydum, in cuius indigestis commentariis permulta bona latere non minus certum est, quam uix unquam fore ut eruantur. cuius haud facile quemquam dissimiliorem esse dicas quam Macrobium; qui cum aliquotiens uidisset de eadem re apud duos eorum quos adamauerat auctorum similia, sed non plane eadem referri, minime id facit, quod exspectes, ut aut utramque narrationem in unam confundat aut alterum (eumque meliorem) auctorem secutus breuiter de quibus alter discrepet adnotet, sed utramque pariter narrationem describit, qua ratione multa bis narranda fuisse consentaneum est. cuius rei unum tibi dabo exemplum idque satis luculentum: de errore Platonis potum per pulmonem delabi arbitrati et Plutarchus (quaest. conu. VII 1) et Gellius (XVII 11), scriptor uterque Macrobio ualde acceptus, rettulerant, quorum narrationes non poterant esse non similes, cum Gellius se Plutarcho usum esse ipse profiteretur; itaque quantulicunque proprii iudicii homo compilauisset Plutarchum breuiterque si quid de suo addiderat Gellius adnotauisset: aliter uero bonus noster Macrobius, qui primum Gellium ad uerbum fere describit (VII, 15, 4—8), tum haud minus adcurate Plutarchum (VII, 15, 8 sqq.), quomodo utraque narratio cohaereat non curans.

2. Porro, quod iam per se ueri admodum erat simile, multis exemplis confirmatur adsuesse Macrobium complures deinceps narrationes ex eodem fonte depromere neque eas tantum, quas ab ipso auctore coniunctas referri uidebat, sed etiam res satis

[1]) Cf. G. Thilo, quaestiones Seruianae [Halis Sax. 1867. 4.] p. 52.

diuersi argumenti ex uariis eiusdem fontis locis congerere atque deinceps narrare solet. itaque non solum l. I c. 12—16, quae tota uersantur in enarranda anni Romani historia, aut eiusdem libri c. 17—23, ubi plerosque deos ad unum solem referendos esse demonstratur, continua ex uno auctore fluxisse et per se patet et infra a nobis, si quid opus erit, demonstrabitur, sed amat etiam Macrobius u. gr. compluria Gellii capita ex uariis Noctium Atticarum libris petita deinceps compilare, ipsis narrationum argumentis tenuissimo saepe cognationis uinculo cohaerentibus: sic quae narrantur Sat. I, 4, 17 — I, 5, 16 conflata sunt e quinque Gellii capitibus (VIII 11; X 24; I 10; I 16; VII, 14, 8 sqq.), libri II caput 8 trium capitum Gellianorum (XIII, 11, 6 sq.; XV, 2, 3 sqq.; XVIIII 2) excerpta continet itemque in tribus extremis libri VI capitibus sex Gellii capita ad enarrandum Vergilium pertinentia coniuncta sunt (Gell. II 6; V 8; X, 11, 2 sqq.; XVI 5; XVI, 6, 5 sqq.; XVIII 5). idem in compilandis Plutarchi quaestionibus conuinalibus usu uenit, nam libri VII c. 1—7 integra[1]) ex septem quaestionibus Plutarcheis composita sunt. neque aliter multae illae quaestiones physicae, de quibus agit Macrobius l. VII c. 8, 10, 11 ex eodem omnes fonte, nimirum ex graeca aliqua *προβλημάτων φυσικῶν καὶ ἰατρικῶν* conlectione[2]) desumptae sunt eandemque rationem per omnes Saturnaliorum libros ualere ipsa plerumque consimili

[1]) Solae paragraphi VII, 4, 12—30 et VII, 5, 13—16 non ex Plutarcho deriuandae sunt; de VII, 3, 8—11 infra dicetur.

[2]) Multa Macrobio communia esse cum problematis physicis et medicis, quae Alexandri Aphrodisiensis nomine falso inscripta feruntur (apud Idelerum, Physici et medici graeci minores I 1 sqq.) primus quod sciam animaduertit Janus, qui similium locorum indicem dedit II 650ᵃ (adde Macr. VII, 8, 1—4 = probl. I 22. Macr. VII, 8, 7—9 = probl. I 30. Macr. VII, 9, 1—8 = probl. I 131. Macr. VII, 14, 1—3 = probl. I 36). tamen eo fallitur uir ille doctus, quod ipsam hanc conlectionem a Macrobio compilatam esse uidetur arbitrari. ipsa enim similium locorum conlatione certum fit Macrobium ex eodem fonte sua hausisse ex quo personatum illum Alexandrum, praesertim cum saepe quae apud illum intra unius quaestionis fines narrantur apud hunc per duo aut tria problemata dispersa sint, unde elucet Macrobium communis auctoris locum integrum fere descripsisse,

uicinorum capitum indole arguitur, ut u. gr. in l. III c. 13—17, l. III c. 18—20, l. V c. 2—17, l. V c. 18—22, l. VI c. 1—5, l. IIII toto. quibus disputatis iam adparebit, si quis Saturnaliorum fontes est indagaturus, ei totum hoc opus quasi dissuendum esse separandasque singulas particulas, quae ad diuersos auctores redire uideantur. neque hoc nimis difficile est, cum Macrobius belli istius praecepti, quod ipse ponit in praefatione (§ 5 sqq.) uerbis e Seneca subreptis (epist. 84, 2 sqq.), res e multis fontibus delibatas in unum concentum esse redigendas, prorsus immemor, adeo non sciat singula uariarum narrationum argumenta scite conectere atque in unum corpus consarcinare, ut non sit magni acuminis adgnoscere, quando ab alio ad alium auctorem transeat, praesertim cum saepe etiam alium interlocutorem loquentem faciat[1]) aut sermonem externis aliquibus rebus (ut cibis aut bellariis inferendis, nouis conuiuis recipiendis, saepissime conuiuarum quaestionibus) interrumpi fingat (u. I 12; I 17; III 18 al.). ceterum plerosque quos Macrobius adhibuit auctores non uno tantum loco sed compluriens ab eo compilatos esse adeo per se consentaneum est, ut semel monuisse sufficiat.

3. Venio iamiam ad quaestionem facile omnium grauissimam, qualem in ipsis auctorum nominibus citandis morem Macrobius

Alexandrum uero istum idem problema bis aut ter diuersis rationibus compilauisse (u. Macr. VII, 8, 4—6 = probl. I 52. II 17. Macr. VII, 8, 9 sqq. = probl. I 57. 56. al.). ceterum mihi uidetur ueri simillimum hanc problematum cònlectionem, quam ob sermonis tenuitatem Theodorum Gazam secuti sexto p. Chr. saeculo attribuere solent uiri docti (cf. Teuffel in encyclop. real.[2] I 1 p. 738), non esse cum nonnullis contra codicum auctoritatem referendam ad Alexandrum Trallianum, Justinianei aeui medicum celeberrimum, sed esse epitomen problematum conlectionis ab ipso genuino Alexandro Aphrodisiensi oriundae, eamque Macrobium quoque compilauisse. talia studia, ut omnibus philosophis Aristoteleis accepta erant, etiam ab Alexandro Aphrodisiensi non aliena fuisse docent eius *φυσικῶν σχολίων ἀποριῶν καὶ λύσεων* libri quattuor hodie quoque superstites.

[1]) Ceterum caue putes quotienscunque alius interlocutor loqui incipiat ex nouo fonte haurire coepisse Macrobium: immo in his rebus ad externam, quam dicimus, sermonis dispositionem pertinentibus omnino certa ratione ille caruisse uidetur.

sequatur. atque eum non diuersum esse a plerisque similis indolis scriptoribus, qui gaudent auctorum citatorum multitudine, primo obtuto adparet; neque tamen minus certum est etiam ea re non discrepare eum a solito compilatorum usu, quod eorum tantum scriptorum nomina citat, quos in fontibus suis nominatos repperetat, ipsorum uero fontium nomina constanter reticet. neque hoc mirum est in ea quam Macrobius sequitur compilandi ratione: quem cum sciamus anxie auctoris sui uestigia premere nihilque fere de suo addere, non erat ubi auctoris nomen commemoraret. sic Gellii nomen, quem totiens Macrobius compilauit, ut ‚Gellii simia' non immerito a Meursio uocatus sit, ne semel quidem in totis Saturnalibus occurrit, idemque in Plutarchum et Senecam[1]) ualet, quos exscribit multis locis nunquam ipsorum nomine addito.[2]) itaque plane dissimilis eius, cuius exemplum ubique imitari uidetur, A. Gellii, qui fontes suos quam potest adcuratissime adnotare solet, ipse quantum potest optime dissimulare studet, unde sua deprompserit. cuius rei etiam alterum excitabo testimonium: ubicunque Gellius se caput aliquod integrum auctori alicui debere profitetur, Macrobius hoc caput compilans non solum ipsum Gellium ex more suo non commemorat, sed etiam fontis illius a Gellio nominati mentionem omittit, cetera uero omnia cum omnibus quae forte excitantur scriptorum nominibus describit: quod eum ideo moliri patet, quo minus uera totius narrationis origo deprehendatur. sic Macr. praef. §§ 14—16 M. Catonis in A. Albinum cauillationem ad

---

[1]) Locos Senecae a Macrobio adhibitos indicat Janus II 663b.

[2]) Minime infringitur ea quam statui Macrobii lex eo, quod Plutarchus semel nominatur in enumeratione eorum, qui quaestiones conuiuales conscripserint (VII, 3, 24 ‚quod genus ueteres ita ludicrum non putarunt, ut et Aristoteles de ipsis aliqua conscripserit et Plutarchus et uester Apuleius' rel.); nam haec omnino in uniuersum dicta sunt neque ullius historiae aut sententiae auctor Plutarchus citatur, cuius nomen nusquam occurrit in eis capitibus, quae ipsi debentur; ceterum si quis totam hanc de quaestionum conuiualium scriptoribus paragraphum a Macrobio alicubi descriptam esse autumauerit, me non habebit aduersarium.

uerbum depinxit ex Gell. XI 8, omissis solis uerbis quae hic posuit in fine capitis ‚scriptum hoc est in libro Corneli Nepotis de inlustribus uiris XIII‘, eademque ratione I, 9, 19—26 = Gell. I 23 omisit mentionem M. Catonis, V, 11, 14—20 = Gell. XII 1 Fauorini, VI, 6, 5 sqq. = Gell. XVI 15 Sulpicii Apollinaris; similia etiam in eis, qui hodie perierunt, fontibus compilandis Macrobium machinatum esse aeque facile est conicere atque demonstrare difficile.

4. Jam cum deinceps quaeramus quid omnino in Saturnaliorum libris condendis ex suo ipsius ingenio petiuerit Macrobius, perpauca haec esse adparet neque fere alia nisi quae ad dispositionem atque *οἰκονομίαν* quam uocant dialogi pertinent: in ipsa uero rerum narratione nihil omnino a Macrobio fictum esse probe tenendum est. quin etiam adeo ille alienis quam suis inuentis uti maluit, ut etiam in dispositione atque instructione operis non pauca mutuaretur ex Platone, cuius egregium dialogum cui inscribitur *συμπόσιον* identidem in usum uocauit. ita e Platone sumpsit mirum illud totius dialogi exordium (I 2), ut Decius de Praetextati illa cena percontetur Postumianum, qui ipse non interfuit, sed ex Eusebio omnia audiuit; eadem ratione notum est apud Platonem (conu. p. 172 sq.) familiarem Apollodorum de Agathonis conuiuio interrogare, Apollodorum se interfuisse negare, sed ab Aristodemo de sermonibus illic habitis certiorem factum esse. indidem fluxit quod apud Macrobium (I 7) Euangelus cum comitibus non inuitati in conuiuium inruunt, sicut apud Platonem (p. 212 sq.) Alcibiades cum aliis mediae cenae interuenit nouamque sermonum seriem excitat; uel ipsa Macrobii uerba I, 7, 10 ‚superuenire fabulis non euocatos haud equidem turpe existimatur; uerum sponte inruere in conuiuium aliis praeparatum nec Homero sine nota uel in fratre memoratum est et uide ne nimium adroganter tres tibi uelis Menelaos contigisse, cum illi tanto regi unus euenerit‘ omnino nequeunt intellegi, nisi iis male exprimi animaduertimus uerba Platonis p. 174 BC.: „*Ὅμηρος μὲν γὰρ κινδυνεύει οὐ μόνον διαφθεῖραι ἀλλὰ καὶ ὑβρίσαι*

εἰς ταύτην τὴν παροιμίαν· ποιήσας γὰρ τὸν Ἀγαμέμνονα διαφερόντως ἀγαθὸν ἄνδρα τὰ πολεμικά, τὸν δὲ Μενέλεων μαλθακὸν αἰχμητὴν θυσίαν ποιουμένου καὶ ἑστιῶντος τοῦ Ἀγαμέμνονος ἄκλητον ἐποίησεν ἐλθόντα τὸν Μενέλεων ἐπὶ τὴν θοίνην, χείρω ὄντα ἐπὶ τὴν τοῦ ἀμείνονος‘. denique comparatio illa cenarum Agathonis et Praetextati quae est apud Macrobium II, 1, 2—6 conuiuii Platonici lectionem aperte prodit, cum talia aliunde descripta esse nequeant. possunt etiam multae aliae minutularum rerum similitudines [1]) conferri, sed nolim certa incertis attenuare. neque quod haec tantum leuiuscula e Platonis symposio Macrobius usurpauit miros nos habere potest, cum praeclarae illae de amore disputationes multo subtiliores sint, quam quae Macrobio nostro adridere potuerint. ceterum tales minutias quales sunt sententiae elegantiores aut uerba argute atque sagaciter conficta non solum ex Platone sed ex omnibus scriptoribus furari solet; sic praefationem suam totam consarcinauit e frustulis Gellianis Annaeanisque (§ 2. 3 = Gell. praef. 2. 3. § 5—10 = Senec. ep. 84, 2—10. § 10 = Gell. praef. 11. § 11 = Gell. praef. 16. § 14—16 = Gell. XI, 8, 2 sqq.) similiaque passim deprehenduntur (cf. Macr. I, 5, 12 = Gell. XVIII, 2, 1. Macr. I, 7, 6 = Senec. ep. 10, 5. Macr. I, 1, 3 = Plut. qu. conu. I, 1, 4 extr.) uerique admodum est simile plura id genus ex reliquis Macrobii auctoribus fluxisse, quae nunc non iam licet adgnoscere.

5. Adsueuit porro Macrobius, quem ampliores plerumque narrationes continuas ex eodem auctore arcessere uidimus, his adsuere pannos paruuli plerumque ambitus ex aliis fontibus depromptos, quos cum ipsa narratione adeo fere nescit scite coniungere, ut interpolatio facile adgnoscatur. quod pauca inlustrabunt exempla: V, 17, 15—20 Macrobius interpretem aliquem Vergilii secutus disserit de uocabulis graecis a poeta

[1]) Veluti quod apud Macrobium I, 2, 15 Seruius incedere dicitur ‚terram intuens et uelut latenti similis‘ fortasse fluxit e Platone p. 174 D., ubi Socrates cogitabundus lentius procedit et ab Aristodemo festinare iubetur etc.

usurpatis hisque in § 18 satis abrupte nullo, quod conectendis sententiis seruiat, uerbo interposito inserit Gellii (XIII, 27, 1—2) notitiam de uersu Parthenii a Vergilio expresso. porro in disputatione quae est VI, 8, 7 sqq. hausta e Gellio X, 11, 2 sqq. (de uerbi maturandi significatione) uerba § 10 ,sic ergo et Vergilius inducit Neptunum — tamquam per fugam redeunt' absunt a Gellio estque omnibus numeris probabilis coniectura Georgii Thilonis (quaestiones Seruianae [Halis Sax. 1867] p. 14) haec inserta esse e commentario aliquo Vergiliano, quos complures a Macrobio adhibitos esse exploratum est; certe haec uerba non ex ipso Macrobii ingenio profecta sunt. neque minore cum probabilitate idem G. Thilo (l. c. p. 15) quae VI, 8, 21 sq. occurrunt inserta in Gellianam de uestibulo dissertationem (Gell. XVI 5) et ipsa ex interprete quodam Vergilii fluxisse statuit conlato Seruio ad Aen. VI 273; eiusdem capitis uerba (VI, 8, 18) ,uecors autem et uesanus priuationem significat sanitatis et cordis' non exstant in Gelliana de uestibulo dissertatione, sed ex alio eiusdem scriptoris capite (V, 12, 10) arcessita sunt, ubi legitur ,uesani autem et uecordes ex una tantum parte dicti, quae priuatiua est'. eadem ratione in disputationem de uariis dierum generibus (I 16) e Gellio inseruit § 26. paullo ante in cap. I 12 uerba quae sunt in §§ 9—12 non ex eodem fonte fluxisse ac reliquam huius capitis partem certa ratione inde conligitur, quod initium § 12 (,Cingius ... ait imperite quosdam opinari Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse') aperte referendum est ad res in § 8 narratas, contra nullo uinculo cohaeret cum §§ 9—11. Sed nolo exempla cumulare, cum multa huius generis ipsa commentatio suppeditatura sit.

Neque vero mentione indigna est alia Macrobii consuetudo cum hac quam modo dixi arte cognata. cum enim multa reperiantur exempla, ubi Macrobius bis uel ter eadem eisdem fere uerbis refert, hoc duplici ratione potest expediri, scilicet ut aut eosdem fontium locos compluriens descripserit aut se ipsum compilauerit: quorum utrum fecerit priusquam quaeramus ipsa exempla uideamus. Lunam Ἄρτεμιν nuncupari quasi Ἀερότομιν

quod aera secet docemur I, 15, 20 et VII, 16, 27, *Κρόνος* idem esse ac *χρόνος* I, 8, 6 et I, 27, 8, putredinem non nisi ex calore et umore generari I, 17, 57 et VII, 16, 17; quibus deis tauro immolari soleat explicatur (eodem uersu Vergiliano in testimonium uocato) III, 10, 5 et V, 13, 11; diebus festis oues nisi scabiei curandae causa non lauari eodem exemplo Vergiliano inlustratur uerbis paene eisdem I, 16, 12 et III, 3, 11 sq., idem breuius tangitur I, 7, 8; thyrsi mucro sub hedera latens commemoratur I, 19, 2 et VII, 1, 22. deinde ex iis quae in libro altero narrantur facetis cauillationibus nonnullae (II, 3, 10; 2, 13; 3, 6; 3, 5) paullo breuius atque neglegentius iterum narrantur VII, 3, 8—11, inserta in Plutarcheam de scommatis disputationem. neque aliter accipiendum est, quod in libro septimo Plutarchum compilans Macrobius, ubi apud eum uersus Homericos citatos reperiebat, adnotat eos uersus Vergilii, quibus illos Homeri locos exprimi ipse ex alio fonte in libro quinto (qui agit de Graecis Vergilii exemplis) docuerat; ita conferuntur Hom. Il. B 381 et Verg. Aen. VIIII 157 sq. apud Macr. V, 9, 4 et VII, 1, 23, Alcinoi et Didonis epulae V, 2, 13 et VII, 1, 14. quibus locis omnibus non se ipsum compilauisse Macrobium sed bis aut ter eosdem auctorum suorum locos descripsisse certa ratiocinatione adsequi mihi uideor: etenim si ex sui ipsius operis locis in alios locos aliquid transtulisset, consentaneum esset primam cuiusque rei mentionem esse ceteris, quae ex illa essent excerptae, ampliorem; quod minime usu uenit: nam, ut exemplum ponam, oues diebus festis nisi scabiei curandae causa non licere lauare copiose exponitur III, 3, 11 sq.[1]), contra multo breuior eiusdem rei mentio fit I, 7, 8 et I, 16, 13, inserta utroque loco narrationi aliunde petitae. neque aliter lunae interpretationem (ut sit *Ἄρτεμις* quasi *Ἀερότομις* etc.) cum ampliore disputatione e Plutarcho (qu. conu. III 10) depromptam legimus VII, 16, 27, breuem eiusdem

[1]) Haec, ut maior libri tertii pars, fluxerunt e commentario aliquo Vergiliano.

rei mentionem (et ipsam in alius auctoris narrationem insertam) I, 15, 20. —

Sed paullo aliter iudicandum est de iis locis Saturnaliorum (neque eorum paruus est numerus) qui mirum quantum cohaerent atque concinunt cum iis, quae ipse Macrobius in Commentariis ad Ciceronis Somnium Scipionis rettulit atque plerumque ita comparati sunt, ut suos ipsius Commentariorum libros Macrobium compilauisse pateat.[1]) omnes enim illi loci quasi summam referunt amplioris narrationis, quae est in Commentariis, neque usquam hic cum Commentariis concentus occurrit nisi in paruis illis additamentis, quae in aliorum auctorum narrationes Macrobius intrudere solet. uide iam haec exempla: VII, 5, 21 Macrobius in Plutarcheam de multifarii cibi concoctione disputationem inserit argumentum ab elementorum uarietate petitum, quod idem paullo amplius sed admodum similiter enarrauerat Comm. I, 6, 27; Comm. I. 12, 1 Macrobius docet, cur Capricornus et Cancer portae solis uocentur, Sat. I, 17, 63, ubi horum siderum mentionem inicit, quasi illius disputationis summam repetens addit ,quae portae solis uocantur'. Sat. I, 17, 3 Macrobius demonstraturus omnes deos ad solem esse referendos proficiscitur a uerbis Ciceronis (Somn. Scip. 4, 2) ,dux et moderator luminum reliquorum (scil. est sol)', quae in Commentariis passim citantur et copiose explicantur I, 20, 1 sqq. praeterea haec conferri iubeo: Sat. I, 6, 6 c. Comm. I, 9, 2; Sat. I, 12, 10—11 c. Comm. I, 21, 24 sqq.; Sat. I, 14, 4 sq. c. Comm. II, 11, 6; Sat. I, 8, 15 c. Comm. II, 11, 12 et I, 17, 14; Sat. VII, 5, 20 c. Comm. I, 6, 60[2]); Sat. VII, 9, 3 c. Comm. I, 6, 81. sed haec hactenus.

6. De fide compilatoris qualis est Macrobius si quaerimus, iam per se patet non quaeri de ueritate rerum ab eo narratarum

---

[1]) Quod Commentarios ante Saturnalia conditos esse hac ratione adsecutus sum, nulli aduersatur testimonio; quae uero in contrariam sententiam disputauit Janus I p. XIII ne ipse quidem magni fecisse uidetur atque ultro conruunt.

[2]) Cf. etiam Sueton. f. 122* p. 173 sq. Rff.

(quae pendet a fide singulorum qui forte compilantur scriptorum), sed quomodo ille fontibus suis usus sit, utrum adcurate et diligenter an temere et neglegenter res inde haustas reddiderit. neque uero, quantum quidem hodie perspici potest, hac una laude priuandus est Macrobius, diligentem fere atque adcuratum sese praestitisse in describendis aliorum libris, et quam anxie auctorum suorum uestigia presserit optime inde adparet quod nonnumquam multo maiore adcuratione usus quam iudicio res, quae in fonte optime habebant, in eo uero quo ipse eas conlocabat connexu absurda erant, ad uerbum transscripsit: sic I, 11, 44 uerbis Gellianis (II, 8, 10) Epicteti memoriam recentiorem esse dicit quam ut possit inter oblitterata resciri[1]), quamquam ille Macrobii aetate iam paene trecentos annos mortuus erat; II, 2, 15 compilans Gellium (XVIIII, 11, 2), qui ita habet ‚neque adeo pauci sunt ueteres scriptores, qui idem eos Platonis philosophi esse adfirmant, quibus ille adulescens luserit', ipse haec sic reddit ‚adfero ad uos distichon Platonis, quo ille adulescens luserit', inepte seruans quamuis mutata constructione coniunctiuum Gellianum ‚luserit'. eiusdem generis exemplum edere uidetur V, 22, 10 ‚nam Nicander huius est auctor historiae, poeta quem Didymus, grammaticorum omnium quique sint quique fuerint instructissimus, fabulosum uocat', ubi quid sibi uelint coniunctiui in obscuro est. similem socordiam deprehendimus V, 4, 4 ubi Macrobius Eustathium dicentem facit ‚uersus quoniam utrobique multi sunt non inserui', quae e scripto aliquo commentario ad uerbum expressa esse patet, cum illa inserendi uox minime apta sit homini per conloquium poetam enarranti; eodem fortasse etiam V, 19, 6 spectat ‚id quoque quod a Sophocle tractum est adnotabo'.[2]) itaque his omnibus

[1]) ‚Resciri' pro tradita lectione ‚nesciri' recte me iudice restituit M. Hertz in Fleckeis. annal. phil. LXXXXV (a. 1867) p. 317 sq.

[2]) Eiusdem socordiae culpa accidisse uidetur, ut nonnumquam Macrobius auctoris sui uerba adcurate exprimens se supra disputasse diceret de aliqua re, de qua ne unum quidem fecit uerbum, quia illam fontis sui partem non compilauerat. Cf. I, 19, 7 c. not. Jani.

locis eo peccauit Macrobius, quod iusto adcuratius uerba auctoris sui expressit. sed sunt etiam exempla, ubi neglegentiae et temeritatis incusandus sit: imprimis temere mutauisse uidetur nomen scriptoris in fonte suo citati I, 15, 21 ,sed Verrium Flaccum iuris pontificii peritissimum dicere solitum refert Varro' quae per temporum rationem non possunt non falsa esse; itaque cum pro ,Verrium Flaccum' Merkelius (Proleg. ad Ouid. Fast. p. LXXXXV) emendare uoluerit ,Valerium Flaccum' uereor ne ipsum Macrobium potius quam librarios correxerit, praesertim cum ille Valerius Flaccus homo sit totus fere ignotus, quem uix uerisimile est cum tali laude a Varrone citatum esse. immo mihi persuasum est a Macrobii auctore nominatum fuisse Granium Flaccum [1]), cuius nomen per Macrobii (aut fortasse iam eius fontis) neglegentiam abiit in Verrium Flaccum. alterum eiusdem generis exemplum infra uidebimus. quod porro in adferendis e Gellio (XVII, 4, 4) Publilii uersibus primum omisit, ultimorum ordinem immutauit (Sat. II, 7, 11) et II, 8, 14 uerba Aristotelis paullo aliter scripta tradit atque is quem compilat Gellius (XVIIII, 2, 5) uix neglegentia factum est, sed quod in suo Gellii codice alia quam quae nos nunc legit. — itaque in uniuersum satis adcurate Macrobius egit et plerumque quam artissime pressit auctorum suorum uestigia, ita ut singulas fere eorum sententias singulaque enuntiata exprimeret. olim uel ipsa fontium uerba plerumque Macrobium mutuari arbitrabar, donec me monuit V. C. Augustus Reifferscheid miram animaduerti per omnes Saturnaliorum libros sermonis aequabilitatem atque prorsus eundem latinitatis colorem, quae oriri non poterant, si complures diuersarum aetatum scriptores ad uerbum omnes expressisset Macrobius. quam uerissimam obseruationem ego nunc facere non possum quin amplectar; neque illa eo infringitur quod Gellium ad uerbum plerumqe Macrobius describit: Gellium enim Macrobius adeo adamat, ut non solum totius operis

[1]) Varro et Granius Flaccus coniuncti citantur Sat. I, 18, 4.

consilium ei acceptum referat (cf. Gell. XVIII, 2) et sescenties eum compilauerit sed etiam sermonem suum ex illius exemplo sibi uideatur confinxisse: certe sermo Macrobianus nullius aeque similis est atque Gelliani. Itaque hoc fere tenendum erit Macrobium in uniuersum res ab auctoribus suis relatas adcurate repromere nihil fere mutantem aut de suo addentem, uerba uero ex suo arbitrio immutare, ut cuiusque scriptoris sermo magis minusue ipsius dicendi consuetudini conueniebat.

Restat ut adnotem in transferendis auctoribus Graecis Macrobium nonnumquam uerba Graeca non recte intellexisse et falso uertisse, ita ut etiam inde conligere possis eum non fuisse natione Graecum, cum linguae non sit plane gnarus. VII, 3, 20 Macrobius haec scribit ‚nam Tarseus Amphias cum ex hortulano potens esset‘ uertens haec uerba Plutarchi (qu. conu. II, 1, 12) ‚*ὁ δὲ Ταρσεὺς Ἀμφίας ἐκ κηπωροῦ δοκῶν γεγονέναι*‘, quae significant ‚cum e hortulano natus esse uideretur‘. similiter VII, 3, 22 Macrobius exhibet ‚ac si quis eorum in indignationem ob tale dictum prolapsus fuisset, ulterius in alterum dicere non licebat‘ cum prorsus alius sensus insit uerbis Plutarcheis (qu. conu. II, 1, 4), quae ille uertit: ‚*εἰ δέ τις ἀπείποι σκωπτόμενος εὐθὺς ὁ σκώπτων ἐπεπαύετο*‘, quae recte interpretatur Wyttenbachius ‚nam si quis iniquius ferret, alter statim mordendi finem faciebat‘. Neque magis Macrobius sensum adsecutus est horum uerborum Plutarchi (qu. conu. I, 1, 2). ‚*εἰ μὲν οὖν ὥσπερ οἱ τὸν Ὀρέστην ἑστιῶντες ἐν θεσμοθετείῳ πῃ πίνειν καὶ τρώγειν ἐμέλλομεν*‘, quae infeliciter uertit VII, 1, 17 ‚nam si, sicut apud Athenas Atticas Areopagitae tacentes iudicant, ita inter epulas oportet semper sileri‘, cum uerba graeca certe ad Atheniensium regem Orestem hospitio excipientem referenda sint. Platonis denique locum conuiu. p. 174 B C uix recte a Macrobio intellectum esse supra (p. 8) monitum est.

I.

Inter multifarias Saturnaliorum disputationes doctrina non mediocri disquisitionisque perspicuitate excellunt ea, quae in l. I c. 12 sqq. a Praetextato disseri finguntur de anni Romani origine mutationibus distributione aliisque rebus ad hunc eruditionis locum spectantibus. qua cum nullam habeamus uberiorem anni Romani enarrationem multaeque a Macrobio referantur res alibi nusquam traditae neque eae parui ad antiquitates Romanas recte intellegendas momenti, scire plurimum nostra refert unde haec arcessiuerit Macrobius: qua de quaestione unus omnium optime meritus est Augustus Reifferscheid, contra quem qui nuper disseruerunt, Ottonem Gruppe dico et Gustauum Kettner, obscurauerunt potius rem quam inlustrauerunt. —

Artissimo uinculo inter se cohaerere ea quae dixi libri primi capita neminem, opinor, fugit: explicatur enim in cap. XII anni decem mensium ratio qualis a Romulo instituta fuerit, additis copiosis de singulorum mensium nominibus commentis; quae ratio quomodo a Numa Pompilio sit immutata docte enarratur in cap. XIII, denique in cap. XIIII ordinatio anni a Caesare atque Augusto instituta inlustratur: haec tria capita non solum ipsa argumenti adfinitate adeo cohaerent, ut alterum ex altero pendeat, sed etiam uniuersa disputandi ratio externaque, ut uerbo utar, disquisitionis indoles unum eundemque auctorem sapiunt. neque uero ab his seiungi possunt duo quae proxime sequuntur capita XV et XVI, quae uersantur in explicandis Kalendarum Iduum Nonarum nominibus uariisque dierum generibus: adeo et argumentum consentit et totius narrationis docta copiosaque indoles. itaque cum capita haec quinque continua uni auctori deberi uideantur, pauca insunt additamenta a Macrobio ex aliis fontibus inserta, quae ne in ipsa auctoris inuestigatione fucum nobis faciant ante erunt eximenda.

imprimis huc pertinent quae de Maia et Bona Dea disputantur (c. 12, §§ 20—29); etenim cum minime cohaereat haec digressio cum ipsa anni historia et mirum quantum ea quam in his paragraphis deprehendimus mystica atque allegorica rerum interpretatio distet ab reliquae disputationis ratione sobria atque circumspecta, hanc historiam alienam esse a primario quem hic sequitur Macrobius auctore consentaneum est optimeque huic opinioni conuenit transitio ridicule abrupta, qua ad materiam a qua deflexit oratio reducimur: ‚ecce occasio nominis, quo Maiam eandem esse et terram et Bonam Deam diximus, coegit nos de Bona Dea quaecunque comperimus protulisse‘ (§ 29). porro narrationis continuitatem moleste interrumpunt c. 14 § 4 et 5 neque unde depromptae sint non patet; nam quae ibi de anni uertentis et lunaris discrimine referuntur aduocato loco Vergiliano (Aen. III 284) fluxerunt e Comm. in Somn. Scip. II, 11, 6, quae uero adduntur de anni uocis etymologia Catonis atque Atei Capitonis placita sumpta esse e commentario aliquo Vergiliano ipsum eum quem dixi Aeneidis locum inlustrante ueri simile est. ex eodem fonte i. e. ex interprete aliquo Vergilii, quos plures Macrobium adhibuisse scimus, haustam esse c. 16 § 12 euincitur ex comparatione loci Sat. III, 3, 11 sq. eiusdem capitis 16 § 26 integra desumpta est e Gellio (V, 17, 3—5). denique monendum est finem huius capitis (inde a § 37) cum antecedentibus nullo artiore uinculo cohaerere neque ex eodem auctore petitum uideri: immo cum hic compluriens Vergilii habeatur ratio probabile est haec quoque commentario Vergiliano deberi.[1]) —

Atque priorem disputationis Macrobianae partem, quae pertinet ad anni Romani historiam (I 12—14), cum examinamus, non possumus non animaduertere concentum apertissimum, qui intercedit inter haec Saturnaliorum capita eaque quae de eodem argumento disserunt Censorinus et Solinus. quem concentum ita explicandum esse, ut tres quos habemus enarratores pendeant ab auctore communi, adgnouerunt et Theodorus Mommsen (Roem. Chronol.² p. 19n. Solin. p. XXVIIII) et Augustus Reifferscheid (Sueton. reliqu. p. 177 sqq.), omnibus ut puto uiris doctis adsentientibus. itaque breuiter hac re poteram defungi nisi nuper exstitisset, qui Macrobium et Censorinum eundem auctorem

[1]) De c. 12 § 9—12 supra (p. 10) a nobis dictum est.

compilasse praefacte negaret, Otto Gruppe. qui cum antea (Hermes X 59) utrumque scriptorem ex eodem auctore (Varronis imprimis humanarum antiquitatum libros secuto) sua hausisse statuisset manifesto concentu motus, postea hanc sententiam retrectauit (in commentat. in honor. Th. Mommseni p. 545), Censorinum scriptorem aliquem compilasse docens, qui Varronis antiquitates humanas in epitomen redegerit uariisque additamentis auxerit; Macrobii uero auctorem ab hoc fuisse diuersum frequentemque eius cum Censorino concentum ita expediri, ut Macrobii auctor Fenestella et fortasse etiam aliis usus sit ex eis scriptoribus, e quibus Censorini auctor hauserit additamenta, quibus placita Varroniana amplificauerit. quod quo iure statuerit Gruppius ut certo iudicio liceat discernere, ante omnia elenchum dabimus eorum locorum, ubi similia referunt Censorinus et Macrobius: ac primum quidem ita orditur Macrobii disputatio (c. 12 § 2), ut quali anno usi sint alii populi quaeratur, nominatis imprimis Aegyptiis, Arcadibus, Acarnanibus, Graecis reliquis; idem admodum similiter Censorinus (19, 4—7) narrat et ipse in exemplum uocans Aegyptios, Arcades, Acarnanes. anni Romulei singuli menses quot fuerint dierum pariter exponunt Macr. I, 12, 3 Cens. 20, 3. deinde quae de mensium Romanorum a Marte usque ad Quintilem nominibus legimus apud Macr. I, 12, 5—34 multo breuius, sed ita ut in ipsis rebus nihil fere discrepet redeunt apud Censor. 22, 9—13, idemque (22, 16 sq.) breuiter agit de mensium nominibus ab imperatoribus immutatis, quae uberius tradit Macr. I, 12, 34—37. quae fuerit Numae anni ordinandi ratio pariter exponunt Macr. I, 13, 1 sqq. Censor. 20, 4 sq., nisi quod hic Numam anno statim LI dies addidisse refert, ille primum quidem quinquaginta, unum postea in honorem imparis numeri. porro de Januarii et Februarii nominibus conuenit inter Macr. I, 13, 3 et Censor. 22, 13; de intercalandi ratione atque mendis copiose agit Macr. I, 13, 8—20, breuissime Cens. 20, 6. cur a pontificibus intercalatio neglecta sit quaque ratione Caesar confusionem sustulerit tantum non eisdem uerbis enarrant Macr. I, 14, 1—4 Censor. 20, 7 sq.[1]) neque minus in describenda anni

[1]) Quod ultimus confusionis annus CCCCXXXXIII dierum fuisse perhibetur a Macrobio, CCCCXXXXV a Censorino, non scriptorum sed librariorum culpa accidisse uidetur Macrobiusque corrigendus esse e Censorino. Solini locus, ubi eandem rem tangit (p. 15, 9), corruptus est. cf. Janus ad Macr. Sat. I, 14, 3. —

Juliani ratione optime congruunt relationes Macr. I, 14, 6—12 et Cens. 20, 9 sq. postremo ne hoc quidem neglegendum est quod uterque scriptor reticet et Neronem Aprilem mensem Neroneum nuncupasse et Commodum in mensium nominibus nonnulla nouasse. itaque adparet ex hoc indice duas continuas libelli Censoriniani partes (scil. c. 20 § 2—11; c. 22 § 9—17) ita congruere cum Macr. I 12—14, ut eaedem res eodem fere ordine[1]) uerbisque satis similibus[2]) referantur neque fere aliud reperiatur discrimen nisi quod Macrobius omnia multo copiosius enarrat Censorino. haec omnia adeo sapiunt fontis communionem, ut nisi iustis argumentis moniti hanc opinionem abicere non possimus. quid uero in argumento Gruppius posuit? iam ipsa eius uerba (comm. Mommsen. p. 545) adscribam, ne quid neglexisse uidear: ‚Von der Quelle des Macrobius unterscheidet sich die des Censorinus sowohl überhaupt durch ihren viel genaueren Anschluss an die Antiquitates rerum humanarum als auch besonders dadurch, dass sie nicht, wie jene, die Sacral- und die Staatsalterthümer in einander arbeitete. Ab und zu kommt es vor, dass sie, wie Festus gegen Verrius, so gegen Varro polemisirt und in diesen Abweichungen von Varro hat sie merkwürdige Uebereinstimmungen mit der Quelle des Macrobius: kein Wunder, da Fenestella, der von Censorinus citirt wird und wahrscheinlich noch andere nicht genannte Schriftsteller, aus denen seine Quelle ihre Zusätze und Verbesserungen in den Varronischen Kern einfügte, auch von der Quelle des Macrobius benutzt waren.‘ ac primum quidem his ultimis uerbis nihil Gruppius expediuit. quid enim? talem totius indolis, ratiocinationis, ordinis, quin etiam uerborum concentum, qualis deprehenditur in Macr. I 12—14 et Censorin. 20, 2—11 et 22, 9—17, quis unquam credet inde nasci potuisse, quod unum alterumue ex iis scriptoribus, quos Macrobii fons secutus sit, etiam Censorini auctor ad amplificanda placita Varroniana adhibuerit? num omnino ulla probabilitatis specie commendatur duos scriptores, cum idem Varronis opus

[1]) Hoc uno differunt, quod Censorinus ex libelli sui dispositione mensium singulorum enarrationem seiunxit ab ipsa anni historia.

[2]) Cf. Cens. 20, 6: ‚quod delictum ut corrigeretur pontificibus datum negotium eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa.‘ Macr. I, 13, 9: ‚unde dies ille, quo abundare annum diximus, eorum est permissus arbitrio, qui fastis praeerant.‘ uide praeterea Censor. 22, 17 conl. Macr. I, 12, 37. Cens. 22, 12 conl. Macr. I, 12, 19.

auctoribus partim iisdem partim diuersis adhibitis amplificarent, tali usos esse omnium sententiarum consensu, ut ne nunc quidem, cum utriusque narrationes ex excerptis tantum posterioris aeui nouimus, in ulla re discrepare uideantur? porro uero Macrobii auctorem minus anxie Varronis uestigia pressisse quam eum cui suas narrationes acceptas refert Censorinus non poterat contendere Gruppius, nisi praeoccupato iudicio totam alteram libelli Censoriniani partem (inde a c. 16) ad unum auctorem (scilicet Varronis epitomatorem) referendam esse putauisset. qui si ea sola respexisset, quae sola respicienda erant, dico c. 20 § 2—11 et c. 22 § 9—17, illo sane argumento abstinuisset: haec enim in tantum cum Macrobio congruunt, ut nisi in uerbis non discrepent neque fieri potuerit, ut alter liberius alter adcuratius Varronis doctrinam referret; uicina autem Censorini capita ex eodem fonte compilata esse nihil arguit; immo illae quas dixi partes minime adeo cum iis cohaerent, ut aliunde petitae esse nequeant. sed ne ipse quidem Gruppius tantum tribuit huic argumento quantum alteri, quod Censorini auctor solas antiquitates publicas enarrauerit, in Macrobii fonte cum illis coniuncta fuerint antiquitates sacrae. at nititur haec argumentatio opinione prorsus falsa (comm. Momms. p. 544 sq.), Macrobii capita I 6—11 et 12—16 integra ex uno fonte manasse, quod neque ipse Gruppius argumentis firmauit neque quisquam firmabit. nam ut capita 12—16 uni auctori deberi in propatulo est, ita non minus certum est perpauca tantum e cap. 6—11 ad hunc auctorem pertinere, plurima ex aliis fontibus arcessita esse: nam quae (c. 6) de bulla et de Asinae et Scrofae cognominibus referuntur ipso argumento excluduntur a libro annum Romanum enarrante; interpretationes autem deorum Jani et Saturni (c. 8. 9) ad alium fontem pertinere in capite altero a nobis demonstrabitur. capita uero 12—16, quae sola in examen uocanda uidentur, tota fere pertinent ad antiquitates humanas. sed cum in c. 16 enarrentur uaria dierum festorum atque profestorum genera, argumentum antiquitatibus diuinis non minus conueniens quam humanis, iam hoc concedamus Gruppio, ita comparatum fuisse Macrobii auctorem, ut antiquitates publicas sacrasque una respexerit! num quid inde sequitur, Censorinum, quippe qui non tangat antiquitates diuinas, non posse ex eodem auctore sua deprompsisse? an talis scriptor est Censorinus, qui auctorem suum cum puluisculo, ut aiunt, exhausisse atque ad uerbum omnia descripsisse putandus

sit? immo uir ille (quamuis non insignis doctrina, tamen minime comparandus Noniis Macrobiis Isidoris), cum nollet conscribere uastos de rebus multifariis commentarios, sed paruum de chronologiae elementis libellum, non adcurate depinxit maiora uolumina, sed quicquid ad consilium suum uidebat aptum esse, excerpsit: itaque omnibus quae ad antiquitates sacras aut omnino ad res ab opusculo suo alienas pertinebant missis ea tantum breuiter enotauit ex amplioribus commentariis, quae ad ipsam anni Romani historiam et ad mensium nomina explicanda spectabant. Macrobius uero, cum eosdem commentarios adiisset, nullo certo consilio ductus sedulo compilauit quaecunque ei uidebantur scitu digna esse, utrum humanas an diuinas antiquitates expromeret minime curans: itaque quae in communi fonte de Kalendis Nonis Idibus atque de diebus festis atque profestis disputata erant, non poterat describere Censorinus, ut a libelli sui consilio aliena, descripsit Macrobius, cui adridebat disputatio docta atque copiosa. — itaque abiectis his Gruppii argutiis tenendum erit, Censorinum historiam anni Romani mensiumque nomina enarrantem eodem auctore usum esse, quem in eisdem rebus explicandis adhibuit Macrobius. tertium denique eiusdem argumenti enarratorem eiusdemque simul fontis compilatorem habemus Solinum (I 34—48), de cuius manifestissimo cum Censorino Macrobioque concentu non est cur fusius disputem; uidetur sane ita communi auctore usus esse, ut temere et neglegenter nulla certa ductus ratione nonnulla excerperet, ipsis plerumque auctoris uerbis seruatis, unde factum est, ut Solinus multo saepius quam Censorinus, qui longe alia utebatur excerpendi ratione, ad uerbum fere congrueret cum Macrobio (conf. Macr. I, 13, 5 c. Solin. p. 13, 7 Momms., Macr. I, 13, 6 sq. c. Sol. p. 13, 2. Macr. I, 14, 2 c. Sol. p. 15, 4 al.). itaque ex his tribus auctoribus, Censorino, Solino, Macrobio, communis auctoris effigies nobis erit refingenda. contra Joannis Laurentii Lydi de mensibus excerpta, in quibus de fastis Romanorum multa narrantur Macrobianis similia[1]) ad Macrobii fontem indagandum adhibere hominis esset incauti: adeo enim apud Lydum haec frustula inuoluta sunt rebus ex aliis omnibus auctoribus depromptis, ut de fonte nihil certi possit

[1]) Sunt haec per totum Lydi opus dispersa; pauca conferri iubeo haece: Lyd. p. 7, 17 Bekk. c. Macr. I, 12, 5. Lyd. p. 40, 4 c. Macr. I, 12, 7. Lyd. p. 47, 21 c. Macr. I, 13, 7. Lyd. p. 90, 17 c. Macr. I, 12, 19 al.

statui: sane in ,expositionibus serioris temporis, quae doctas priorum saeculorum disquisitiones per epitomen comprehenderunt', quales Lydum compilauisse recte statuit J. F. Schultze (quaestionum Lydianarum part. I [Gryphisw. 1862] p. 29 n. 24), eius quoque libri, quem tres quos dixi auctores adhibuerunt, excerpta infuisse uidentur.

Qua quaestione expedita iam deinceps inuestigandum est, cui aetati adsignandus sit communis Censorini Solini Macrobii auctor. qua in quaestione certissimam nobis ansam praebere Macrobii narrationem docuit Reifferscheid (Sueton. reliqu. p. 434. cf. Gruppe, Hermes X 59): etenim cum ille in mensium enarratione Octobrem a Domitiano in sui nominis honorem denominatum esse commemoret (Sat. I, 12, 37), contra Commodum postea noua ratione mensium nomina immutasse plane ignoret, consentaneum esse uidetur intra horum duorum imperatorum aetates Macrobii auctorem librum suum condidisse. quod qui nuper impugnauit Gustauus Kettner nihil videtur profecisse haec disserens (Beobacht. p. 13): ,Mir scheint das am meisten positive Ergebniss der Untersuchungen Gruppes, nämlich die chronologische Fixirung der Quelle nach Macr. I, 12, 37, vor einer genaueren Prüfung nicht bestehen zu können. Darauf, dass Macrobius an dieser Stelle zwar bereits erwähnt, dass der von Domitian benannte October nach dessen Tode seinen alten Namen wiedererhielt, dagegen nichts davon sagt, dass Commodus ebenfalls seinen Namen in den Kalender zu setzen versuchte, darauf wird man schwerlich Gewicht legen dürfen, wenn man bedenkt, wie ungenau derselbe auch in ähnlichen Angaben ist. So erwähnt er auch nicht, dass auch Nero den April nach sich benannte, so ferner wendet er ein ganzes Capitel darauf an, um zu beweisen, dass die Saturnalien eigentlich eintägig, dann aber unter Augustus auf drei Tage ausgedehnt seien, ohne im Mindesten zu berücksichtigen, dass Caligula die Feiertage noch weiter vermehrte.' sed haec exempla minime id demonstrant quod demonstrare cupit Kettnerus. nam multa quae adferri poterant aut a Macrobio aut ab eius auctore omissa esse nemo cautus negabit, neque tamen hoc nostro loco usu uenit; nam Macrobii auctorem ante Commodum scripsisse non inde conligimus, quod ille non commemorat mutationes ab hoc imperatore institutas, sed quod diserte dicit (I, 12, 37) post Domitianum cautione principum mensibus prisca nomina seruata esse: quod nullo modo

adfirmare poterat Macrobius, si adhibuisset fontem Commodo recentiorem. ceterum mirum est, quomodo hac argumentatione abutatur Kettnerus: nam etiamsi illa rata esset (quod secus esse demonstraui), nihil profecto aliud inde sequeretur, nisi non opus esse inter Domitianum et Commodum uixisse Macrobii auctorem, sed posse etiam Commodo iuniorem esse; itaque exspectabam Kettnerum demonstraturum esse Macrobium adhibuisse librum aliquem post Commodi aetatem conditum. sed ille paucis paginis post (Beob. p. 21 sq.) adeo uidetur oblitus esse suae ipsius ratiocinationis, ut a Macrobio compilari sibi persuadeat Masurium Sabinum, ICtum aetatis Tiberianae celeberrimum; arbitrari igitur uidetur istas paragraphos, ubi Domitiani mutationes commemorantur, a Macrobio ex alio scriptore insertas esse: quod uix quisquam credet, qui quantum haec cum ceteris cohaereant perspexerit eademque ad uerbum fere (quamuis non nominato Domitiano) redire animaduerterit apud Censorinum (22, 17). itaque haec Kettneri opinio, quae etiam eo redarguitur, quod nunquam fontes suos Macrobius nominat, Masurium autem compluriens citat, procul abicienda est. —

Itaque cum inter Domitianum Commodumque imperatores quaerendus sit Censorini Solini Macrobii auctor, in uarias de eo sententias uiri docti abierunt. atque Theodorus Mommsen obiter (Solin. p. XXVIIII) suspicatus est haec fluxisse e chorographia illa Pliniana, Hadrianea fere aetate composita, qua in maiore libri sui parte condenda usus est Solinus. sed neque ipse uir egregius multum tribuere uidetur huic coniecturae, neque est quod ei faueat. contra Augustus Reifferscheid (Sueton. reliqu. p. 434 sq.) et Censorini et Macrobii relationes (a quibus seiungi nequit Solinus) redire ad C. Suetonii Tranquilli librum qui fuit de anno populi Romani ratione perquam probabili adsecutus est. etenim cum sciamus ea aetate, qua Censorini et Macrobii auctorem uixisse certa ratione euincitur, conditum esse amplum de eo quod illi enarrauerunt argumento commentarium a scriptore saeculo III et IIII multum lectitato (cf. Reifferscheid l. c. 474 sqq.), iam per se ueri est simillimum non neglectum fuisse hunc scriptorem a Censorino et Macrobio. neque falsam esse hanc suspicionem, ut probe perspexit Reifferscheidius, ipse diserte profitetur Censorinus, qui in initio ipsius eius de anni Romani historia disputationis, quam cum Macrobio adcurate concinere uidimus, haec exhibet (20, 2): ‚annum uertentem Romae Licinius quidem

Macer et postea Fenestella statim ab initio duodecim mensum fuisse scripserunt: sed magis Junio Gracchano et Fuluio et Varroni et Suetonio aliisque credendum, qui decem mensum putarunt fuisse', quod, quisquis nouit grammaticorum citandi rationem, ita intellegit, ut eum tantum scriptorem, qui et tempore est recentissimus et ultimo loco nominatur, Suetonium uidelicet, a Censorino usurpatum esse putet ex eoque reliquorum qui ibi citantur uirorum notitiam ad eum peruenisse. neque audiendus est Gruppius haec docens (Herm. X 60): ‚Allerdings ist anzunehmen, dass nur der an letzter Stelle bezeichnete Schriftsteller, welcher die übrigen citirte, benutzt sei; aber an jener Stelle steht eben nicht Sueton sondern „alii", worunter sich höchst wahrscheinlich nur ein einziger Alius versteckt'; quod secus esse adparet ex loco Macr. I, 13, 20 sq., ubi de intercalatione et alii aduocantur et ex eis quos ibi Censorinus adfert Licinius Macer, Junius, Fuluius, Varro; Suetonium uero non nominauit Macrobius, quippe quem ipsum exscriberet; si autem, quod uult Gruppius, alium auctorem Suetonio usum et Censorinus et Macrobius compilassent, illum tacuisset Macrobius, nominasset Suetonium. ceterum adsueuisse uidetur Censorinus, cum complures scriptores citaret, extremo loco addere ‚et multi alii' aut simile aliquid, etiamsi certum nullum auctorem respiceret; cf. 4, 3: ‚Aristoteles quoque Stagirites et Theophrastus multique praeterea non ignobiles Peripatetici idem scripserunt.' 7, 5 ‚nam septimo mense parere mulierem posse plurimi adfirmant, ut Theano Pythagorica, Aristoteles peripateticus, Diocles, Euenor, Straton, Empedocles, Epigenes, multique praeterea' (uide etiam 18, 20 et 21, 3). sed etiam alia argumenta repperisse sibi uisus est Gruppius, cur nequeat a Censorino Macrobioque Suetonius compilatus esse, ita disserens (Herm. X 59): „Das würde recht gut zu Suetons Prata passen, die Reifferscheid (p. 177—184. p. 474 [immo 434]) als Quelle des Censorinus aufstellt; aber einmal ist es wenig wahrscheinlich, dass ein Schriftsteller wie Sueton den Varro so genau ausschrieb, dass noch sein Excerpent wörtlich mit demselben stimmt; zweitens aber zeigen die aus den Prata, namentlich in Isidors rerum natura erhaltenen Fragmente die möglichst grossen Abweichungen von Censorinus: Abweichungen, die wie das Zeugnis anderer oft mit Isidorus übereinstimmender Schriftsteller beweist, nicht auf einem Irrthum dieses, sondern nur auf der Verschiedenheit der Quelle beruhen

können.“ sed excerpta Suetoniana, quae apud Censorinum atque Macrobium exstare contendo, ad uerbum cum Varrone concinere nunquam demonstrauit Gruppius; id unum probauit (Herm. X 54 sq.) conlatis locis Censor. 17, 3 sq. et Plin. n. h. VII 153 sqq. (quem e Varrone pendere recte adserit), auctorem in illo capite a Censorino usurpatum ita Varrone usum esse, ut eandem rem eisdem exemplis inlustraret, nonnulla etiam nouaret: atque ita Varronem compilari ab Suetonio, qui adeo nititur doctrina Varroniana ut alter fere Varro uideatur, quis negabit? ceterum hoc Gruppii exemplum nihil ad nos attinet, cum non ex eis libelli Censoriniani partibus petitum sit, quas continuus Macrobii consensus comitatur: has uero solas in indagando communi utriusque auctore adhibendas esse consentaneum est, cum reliqua ex eodem fonte manauisse nemo nobis spondeat. eodem errore factum est, ut Gruppius excerpta Suetoniana ab Isidoro seruata mirum quantum discrepare contenderet a Censorino. quod nusquam usu uenit in eis, quas supra circumscripsi, libelli Censoriniani partibus, immo saepe deprehendimus concentum haud obscurum; uide imprimis quantum non dissonent a Censorino et Macrobio mensium Romanorum enarrationes quas e Suetonio refert Isidorus de rerum nat. IIII (= fr. Suet. 118* Reiff.), ubi uel in re minutissima consensum adgnoscimus, quod utrique Januarium et Februarium ultimo loco conlocant. postremo ne id quidem neglegendum uidetur Suetonio quotienscunque in Caesarum uitis rerum ad fastos pertinentium iniciat mentionem optime conuenire cum Censorino atque Macrobio: imprimis quae ille refert in uita Caesaris (c. 40) de Caesare fastorum correctore adeo concinunt cum Censorino 20, 7 sqq. et Macrobio I, 14, 1 sqq. ut nihil discrepet. neque hoc pro nihilo aestimandum uidetur, quod Augustum anni cursum per neglegentiam turbatum ad pristinum ordinem reduxisse praeter Censorinum Solinum Macrobium solus, quod sciam, Suetonius (u. Aug. 31) auctor est. sed haec quidem hactenus; uereor enim ne nimius fuisse uidear in refellendis Gruppii Kettnerique suspicionibus, in quibus illi haud multos, opinor, habuerunt adsentientes[1]), atque sufficere arbitror ea quae adhuc disputaui, ut omnibus numeris probabile, ne dicam certum uideatur, Macrobium l. I cap. 12—14 paene

[1]) Similiter de Gruppii commentis iudicare uidetur u. gr. H. Diels, Doxographi graeci p. 188.

tota e Suetonii de anno populi Romani libro deprompsisse eodemque fonte et Solinum et in nonnullis libelli sui partibus Censorinum usos esse.

Jam pergo ad capita Macrobii I 15 et 16, in quibus caremus tam certis originis Suetonianae indiciis qualia praesto erant in capitibus proxime antecedentibus: tamen haec quoque e Suetonio accita esse inde fit probabile, quod adeo cohaerent cum eis quae e Suetonio sumpta esse tantum non certum est, ut uix tibi persuadeas haec ad alium auctorem pertinere. neque non fauet huic opinioni et quod idem Macrobii cum Lydianis de mensibus excerptis concentus, quem deprehendimus in capp. I 12—14, hic quoque adgnoscitur[1]), unde sane fit uerisimile eundem ubique auctorem a Macrobio compilari[2]), et quod bene conuenit Macrobio cum Suetonianis excerptis apud Isidorum obuiis.[3]) tamen minime me fugit esse duo argumenta, quae refellere uideantur meam sententiam neque tamen ea, quod mirum est, a quoquam eorum, qui Suetonianam horum capitum originem impugnauerunt, excitata. primum enim I, 16, 29 in testimonium uocatur ‚Cornelius Labeo primo fastorum libro', quem scriptorem non potuisse adhiberi a Suetonio certum est: Cornelium enim Labeonem is, qui nuper peculiari libello de eo egit, Gustauus Kettner[4]), altero p. Chr. n. saeculo exeunte uixisse adseruit, sed centum annis eum esse recentiorem ipsa Kettneriana ratiocinatione demonstrari docuit A. Reifferscheid.[5]) quem Labeonem si hic a Macrobio citari concedendum est, actum est de Suetoniana horum capitum origine; nam illam de nundinis disputationem (I, 16, 28—36), in qua citatur Cornelius Labeo, ex alio fonte ad Macrobium peruenisse atque reliquas capp. 15 et 16 partes nulla fere probabilitatis specie commendatur. sed ut plus uno nomine suspectam esse demonstrem illam Cornelii Labeonis apud Macr. I, 16, 29 mentionem, paullo longius mihi erunt res repetendae. atque Cornelii Labeonis memoriam duo, ut uidetur, fontes Macrobio suppeditauerunt: alteri, qui fuisse uidetur commentarius

---

[1]) Cf. imprimis Lyd. de mens. III 7 cum Macr. I 15.

[2]) De Lydo Suetonii compilatore cf. Reifferscheid, Sueton. p. 476.

[3]) Vide ante omnia Sueton. fr. 114* et Macr. I. 16, 2 sq., 13 sqq.

[4]) Cornelius Labeo. Ein Beitrag zur Quellenkritik des Arnobius. Programm der Kgl. Landesschule Pforta. Naumburg 1877. p. 23 sq.

[5]) Index schol. in univers. litter. Vratisl. per hiemen anni 1879/80 habendarum p. 9.

aliquis Vergilianus perpetuus quarto p. Chr. n. saeculo conditus, debetur Cornelii Labeonis de dis Penatibus sententia, quam tradit Macr. III, 4, 6 (u. Kettner, Corn. Labeo p. 11 sqq.). deinde in disputationibus mythologicis (Sat. I 17—23), de quarum orgine a nobis exponetur in altero capite, semel (I, 18, 21) diserte citatur ‚Cornelius Labeo in libro cui titulus est de oraculo Apollinis Clarii' saepiusque ab eo, quem illic Macrobius sequitur, auctore Cornelium Labeonem usurpatum esse ueri non est dissimile. ad eundem autem auctorem referenda esse, quae leguntur I, 12, 20—29 de Bona Dea inserta in Suetonianam anni historiam bis nominato Cornelio Labeone (§§ 20, 21), infra probabile reddam. restat unus ille locus e quo eramus profecti I, 16, 29, ubi citatur primus eius fastorum liber, opus ceteroquin ignotum, cum uno hoc loco Cornelium Labeonem de fastis scripsisse doceamur. neque enim quod Kettnerus (l. c. p. 24 sqq.) fragmenta nonnulla, quae certis Labeonis libris non adscribuntur, in fastis olim conlocata fuisse coniecit, merito fecit: fragmentum enim Kettneri 15 (Lyd. de mens. IIII 1. 2, quibuscum saepe concinit Macr. I 9), quo Jani dei natura enarratur e fastis fluxisse minime opus est; immo cum Macrobii narrationem non ex eo auctore, cui ille fastorum commentarios (I 12 sqq.) debet, sed ex eo, cui disquisitiones mythologicas (I 17 sqq.) acceptas refert, manauisse infra sim demonstraturus, etiam Lydum ex fonte ad fastos non pertinente hausisse est ueri simile. quae eadem etiam in fragm. 19 (Macr. I. 12, 20—29) ualent. porro fragmenta 17 (Lyd. l. c. IIII 38), 18 (Arnob. IIII 16), 21 (Lyd. IIII 54), quae agunt de quinque Bacchis, de Minerua, de quattuor Volcanis neque omnino Labeonis nomine inscribuntur, omnino non pertinent ad fastos neque magis fr. 20 (Schol. Stat. Theb. IIII 482 de quattuor Mercuriis), quod Otto Jahn (in N. Mus. Rhenano VIIII 627) coniectura ad Cornelium (codd. Coruilius) eumque Labeonem rettulit. restat unum fragm. 16 (Lyd. IIII 20), quod cum ad Februarii mensis etymologiam pertineat, sane potest ad fastos referri. itaque superest tenuissima illorum librorum memoria, duo scilicet fragmenta, alterum Macrobianum, quod diserte Cornelii Labeonis fastorum libro primo adscribitur, alterum Lydianum, quod, si argumentum spectamus, potest e fastis petitum esse soloque *Λαβεών* nomine designatur. sed iam porro uideamus: Macrobius in capite 16 cum prodigus sit in scriptorum nominibus adferendis, omnes arcessit scriptores Masurio Sabino

et Julio Modesto i. e. Tiberii imperatoris aetate antiquiores[1]): unus occurrit Cornelius Labeo recentissimis illorum plus quam duobus saeculis recentior, quod grauissimum nobis inicit scrupulum. porro uide ipsum operis argumentum quantopere fuerit et a toto illo tempore et ab ipso Cornelio Labeone alienum: nam tertio saeculo exeunte conditos esse de fastis commentarios complures libros amplexos, per se minime est ueri simile, cum (praeter Suetonium) omnium quos de fastis scripsisse scimus recentissimus sit Julius ille Modestus. deinde Cornelium Labeonem satis nouimus, ut sciamus eum fuisse hominem argutiis theologicis imbutum omnibusque neoplatonicorum, quos uocant, et Etruscorum arcanis doctrinis deditum, sed ita, ut a solidiore doctrina uideatur abhorruisse: quid igitur cum fastis theologo? iam uides, opinor, quo tendam: nullos unquam fuisse arbitror Cornelii Labeonis fastorum libros, sed errorem a Macrobio esse commissum in citando scriptoris nomine. ita enim illum tibi fingas scriptum repperisse in fonte: ‚etiam Labeo primo fastorum libro nundinis ferias esse pronuntiat‘ neque negabis facile fieri potuisse, ut Macrobius, cum paullo ante (12, 20 sq.) ex alio fonte Cornelii Labeonis notitiam exprompsisset, hoc quoque loco eundem uirum indicari ratus, Cornelii nomen adderet.[2]) re uera autem fastos scripserat, si quid calleo, Antistius Labeo ICtus celeberrimus, quem ‚legum atque morum populi Romani iurisque ciuilis adprime doctum‘ fuisse scimus (u. Gell. XIII, 12, 1. cf. 10, 1). atque ICto quam unice conueniant fastorum libri non eget explicatione, si consideras etiam L. Cincium et Masurium Sabinum ICtos de fastis scripsisse et in hac ipsa de nundinis disputatione prouocari ad Trebatium (§ 28) et Rutilium (§ 34) ICtos. itaque si non certam tamen satis probabilem esse arbitror meam coniecturam,

---

[1]) Granius enim Licinianus (§ 30) quin idem sit atque Granius Flaccus Julii Caesaris aequalis nullus dubito. cf. Gran. Licinian. fragm. ed. Bonn. p. XX. Francken, Fleckeis. annal. supplem. III 250. Kettner l. c. p. 16*. neque ii, de quorum tempore nihil certi statui potest, eos quos posui fines uidentur transgressi esse, cum Geminus (Tanusius?) inter Cassium (Heminam) et Varronem conlocetur (§ 33) et pro obscuro illo Tito (de feriis, § 28) aut Cincius (Merkel, proleg. ad Ouid. fast. p. LXXVI) aut Titius (M. Hertz, de Luciis Cinciis p. 39) reponendus uideatur, uterque ea quam dixi aetate antiquior.

[2]) Similiter I, 15, 21 cognomine deceptum Macrobium pro Granio Flacco posuisse Verrium supra indicaui p. 14. quae duo exempla inuicem sese tuentur atque inlustrant.

qua ad Antistium Labeonem fastorum libros refero. neque quod nulla eorum alibi ad nos peruenit mentio miros nos potest habere, cum ex tot celeberrimi illius uiri libris (quos CCCC eum scripsisse auctor est Pomponius de orig. iur. § 47) pauca tantum supersint fragmenta atque iis tantum libris benignior contigerit fortuna, quibus accidit, ut excerperentur atque in Iustiniani Digesta reciperentur.[1]) ad Antistium Labeonem etiam Lydi locus, de quo supra monui (de mens. IIII 20), referendus erit; sed Antistii memoria per quales ambages ad Byzantinum peruenerit non est huius loci quaerere.

Sed iam uenio ad alterum argumentum, quo aliquem uti posse dixi, ut Suetonium in his capitibus a Macrobio compilari neget. etenim cum supra monuerimus diuersa dierum genera a Macrobio prorsus similiter definiri et enarrari atque a Suetonio factum esse e misellis Isidori excerptis concluditur, unus sane locus occurrit, ubi fragmentum Suetonio diserte adscriptum discrepat a Macrobio. haec enim tradit Priscianus inst. gr. VIII 20 (= Suet. fr. 114*): ‚Suetonius in octauo pratorum: fasti dies sunt quibus ius fatur i. e. dicitur, ut nefasti quibus non dicitur', quocum congruit Isid. de nat. rer. I 4, origin. VI, 18, 1. contra sic haec habentur apud Macrobium I, 16, 14: ‚fasti sunt quibus licet fari praetori tria uerba sollemnia do dico addico; his contrarii sunt nefasti.' itaque quamuis Suetonium ea tradidisse quae Priscianus et Isidorus referunt non minus certum sit, quam discrepare ab his Macrobium, tamen non multum huic dissensui esse tribuendum arbitror. etenim cum ea quam Macrobius amplectitur definitio nota atque uulgata sit (cf. Varro l. l. VI 30. Ouid. fast. I 47. Fest. p. 165. Fasti Praenest. ad Jan. 2.), ne Suetonium quidem eam reticuisse uerisimile est, immo potius utramque interpretationem commemorauisse uidetur, e quibus alteram Priscianus et Isidorus, alteram Macrobius descripserunt. neque nos fugit cur priorem definitionem Macrobius describere noluerit: offendit enim in insolito usu passiuo uerbi ‚fari', quod non miraberis in homine, quem de uerbo commentationem grammaticam scripsisse scimus. itaque eadem causa quae Priscianum mouebat, ut haec Suetonii uerba describeret, Macrobium ab

[1]) Ad fastos pertineret Antistii Labeonis fragmentum a Festo p. 348 s. u. ‚septem dies' seruatum, si recte uerba lacera a C. O. Muellero restituta esse certum esset.

iis auertebat. qua interpretatione omnia uidentur expediri, praesertim cum reliqua omnia non modo suadeant, sed paene cogant ut Suetonium a Macrobio compilari censeamus.

Itaque cum de Macr. S. I 12—16 fonte quid certis rationibus adsequi liceat examinauerimus, iam deinceps est quaerendum, num quid praeterea in condendis Saturnaliorum libris Macrobius ex eodem auctore deprompserit. qua in re ut in hac tota disquisitione egregie uiam indicauit Reifferscheidius (Sueton. reliqu. p. 435) haec docens: ‚satis habeo adnotasse Macrobium de saturnalibus disputantem cum Fenestellae I, 10, 5 et Masuri Sabini I, 4, 6; 15. 10, 5 auctoritates adhibeat Suetoniani libri usum prodere. quibus indiciis addi potest Julius Modestus Hygini sectator de feriis a Macrobio l. c. 4, 8 laudatus.‘ itaque Reifferscheidius e Suetonii libro depromptas esse adserit narrationes quae sunt de Saturnaliorum et Saturnalium genetiuis (I, 4, 5—16) et de Saturnaliorum historia (I, 10, 1—23), quibus addendam esse censeo disquisitionem, quae instituitur I, 3, 12—16 de uariis diei noctisque partibus. quae omnia cum capitibus I 12 sqq. non solum summa coniunguntur argumenti adfinitate, sed etiam eo, quod idem auctores, alibi apud Macrobium raro aut nusquam citati, in his libri primi partibus aduocantur, ut Licinius Macer nusquam excitatur nisi I, 10, 17 et I, 13, 20, Julius Modestus I, 4, 7. I, 10, 9. I, 16, 28, Masurii Sabini Fastorum libri I, 4, 7 et 15. I, 10, 5. neque merito quis disputationem quae est de Saturnaliorum historia e Suetonio fluxisse ideo negauerit [1]), quod non commemorantur a Macrobio dies post Augusti tempora his feriis additi, imprimis is quem Caligulam imperatorem instituisse ipse Suetonius (Calig. 17) auctor est: nam in aperto est Macrobium non integram auctoris sui narrationem descripsisse sed Sigillariorum facta mentione (10, 24) deflectere ad aliam disputationem de hoc usu instituendam (11, 46 sqq.), praesertim cum omnino non hoc ageret, ut integram harum feriarum historiam referret, sed doceret, Saturnalia olim uno tantum die celebrata esse. porro de forma genetiuorum Saturnaliorum, Agonaliorum, Bacchanaliorum sim. Suetonium quaesiuisse nemo mirabitur, qui meminerit, quanta in hoc ipso uiro fuerit studiorum et antiquariorum et grammaticorum coniunctio (cf. Reifferscheid,

[1]) Cf. Kettner, Beobacht. p. 13.

Suet. reliqu. p. 449. 452.).[1]) postremo ad Suetonium ut referam c. 3 § 12 sqq.[2]), ubi diei noctisque diuisio enarratur, praeter ipsum argumentum libro Suetoniano ita aptum, ut nihil ultra, mouet me concentus, quem uidemus intercedere inter Macrobium Censorinum Isidorum. Censorini enim caput 24 ex eodem fonte fluxisse atque Macr. I, 3, 12 sqq. consensu manifestissimo euincitur: congruunt et nomina et ordo singularum partium (ne hoc quidem neglegendum uidetur quod uterque a media nocte initium sumit enumerationis), hoc uno discrepant, quod nonnulla seruauit Censorinus, quae aut consulto aut incuria omisit Macrobius, ut meridiei, crepusculi, mediae noctis mentionem: itaque cum iam in alia libelli Censoriniani parte ea quae traduntur Macrobianis similia ab utroque e Suetonii de anno populi Romani libro deprompta esse uiderimus, hic non aliter rem se habere probabile est. neque aduersantur huic opinioni excerpta quae sunt apud Isidorum Suetoniana: plane cum Macrobio et Censorino consentit diuisio diei quae est in Sueton. fragm. 113*, nisi quod Isidorus tres tantum principales diei partes (mane, meridiem, supremam) nominauit, omisit ‚a mane ad meridiem' et ‚de meridie' (Censorin.) siue ‚tempus occiduum' (Macr.); in enarranda autem noctis diuisione (fr. 116*) conturbasse uidetur socors iste compilator docti auctoris placita: nomina enim eadem adfert quae Macrobius et Censorinus (nam quod dicit ‚crepusculum matutinum' idem est quod apud Censorinum audit ‚ante lucem') atque eadem ratione singula nomina explicat, sed eorum ordinem neglegentia

[1]) In differentiarum sermonum, quae Suetonio in libris mss. adscribuntur, parte ea, quae non est ad litteras disposita et Reifferscheidio iudice (l. c. p. 450 sqq.) non pertinet ad Suetonium, haec leguntur p. 310 Roth: ‚Inter Saturnalium et Saturnaliorum] si dixero Saturnaliorum ut subselliorum Saturnaliis facit ut subselliis; et ideo dicimus Saturnalium, ut possit fieri Saturnalibus.' quae si conceditur aliquatenus cohaerere cum Macrobio, qui Suetonio usus esse uidetur, aut egregie fallor aut et fulcitur mea de Suetonio Macrobii auctore opinio et demonstratur etiam in priore illarum differentiarum parte nonnulla doctrinae Suetonianae frustula delitescere. ceterum quae de eadem re tradit Charisius p. 146 (cf. p. 42 et 143) ad eundem Suetonium redire probabile reddit Asinii Pollionis mentio (cf. Macr. I, 4, 12).

[2]) Reliqua huius capitis pars (§§ 2—10) e Gellio III 2 ad uerbum fere descripta est, quod negare non debebat Kettnerus (Beob. p. 18). § 12 e commentario aliquo Vergiliano inseruit Macrobius, cuius rei ansam dedit locus Vergilii a Gellio citatus (§ 10).

immutauit.[1]) tamen detractis foedis Isidori deprauationibus quin eundem auctorem et ipse et Macrobius ac Censorinus compilauerint haud facile quisquam in dubitationem uocauerit.

Restat ut quid e Macrobio conligi possit de libri Suetoniani indole paucis complectamur. atque imprimis hoc adparet — quod ne antea quidem ignorabatur, sed ex Isidori miseris excerptis non poterat satis perspici — hanc praecipue rationem Suetonium secutum esse, ut Varronis atque Verrii Flacci doctrinam inter se conciliaret[2]) et quasi in unum conflaret, paucis aliis adhibitis libris Verrio recentioribus, ut Masurii Sabini fastis; antiquiorum autem scriptorum, quos multos laudauit, notitiam e Varrone et Verrio plerumque hausisse uidetur. singula, quae e Varrone, quae e Verrio arcessiuerit, longius persequi nunc non licet. sed paucis exemplis rem inlustrabo. atque Varronianae eruditionis fructus multi adgnoscuntur conlatis libris qui sunt de lingua latina aut fragmentis Varronis ab aliis scriptoribus seruatis; nonnulla etiam Plutarchi ope ad Varronem referri possunt: etenim cum Plutarchus in uitis Romuli Numaeque et in quaestionibus Romanis multa de fastis Romanorum referat Macrobianis similia maioremque illorum partem haustam esse ex Jubae Varronis et Dionysii Halicarnassensis doctrinam consarcinantis ὁμοιότησιν ab Alberto Barth[3]) luculenter demonstratum sit, iam adparet, si quando ita concinunt Plutarchus et Macrobius, ut ad eundem auctorem reuerti uideatur utriusque narratio, Varroniana haec esse, alteri a Juba, alteri a Suetonio suppeditata. Verriana autem adgnoscuntur adhibitis Fastis Praenestinis Festo Paulo aliis, unde nonnulla composuit Kettner (Beobacht. p. 13 sqq.), qui tamen non omnia recte administrauit. quomodo in consarcinandis Varronis Verriique copiis egerit Suetonius haec exempla pauca e multis deprompta docebunt: quae de diei noctisque temporibus refert Macr. I, 3, 12 sqq. ita inlustrantur conlatis

---

[1]) Sic uesperum post crepusculum nominauit (sed rectum ordinem seruauit in origin. V, 31, 4); conticinium non post gallicinium posuit sed ante intempestum, ideo, opinor, quod inter se confudit conticinium et concubium, quod erat eo loco nominandum.

[2]) De Suetonio Varronis sectatore uide quae monuit Reifferscheid l. c. p. 473. 475, de Verrio ibid. p. 449 al.

[3]) In libello omni laude digno, cui inscriptum est ‚de Jubae ὁμοιότησιν a Plutarcho expressis in quaestionibus Romanis et in Romulo Numaque'. (Diss. inaug.) Gottingae 1876.

Varron. l. l. VI, 4—7, VII 72, 78 sq. et ap. Seru. Aen. II 268, Festo p. 305 (u. suppremum), Paul. p. 110 (u. intempestam noctem), ut adpareat, modo huius modo illius sententiam Suetonium esse amplexum. porro narrationis quae est de Acca Larentia[1]) apud Macr. I, 10, 12 sqq. partem priorem (§§ 12—16) ad Varronem redire probatur concentu et Augustini (ciu. dei VI 7) et Plutarchi (Q. R. 35 uit. Romul. 5), altera autem pars, ubi confunduntur Acca Larentia meretrix cognominisque Romuli nutrix, e Verrio uidetur fluxisse, quem — praeeunte Licinio Macro — has duas mulieres pro una habuisse testantur fasti Praenestini (ad Dec. 23. C. J. L. I p. 409): ‚Accae Larenti[nae . . . . .] Hanc alii Remi et Rom[uli nutricem alii] meretricem Herculis scortum [fuisse dic]unt; parentari ei publice quod P. R. he[redem fece]rit magnae pecuniae, quam accepe[rat testame]nto Tarutili amatoris sui.‘ in capitibus 12—14 plura e Varrone deprompta uidentur, sed ad eius placita aut amplificanda aut emendanda ubique Verrium quoque Suetonio ad manus fuisse in aperto est: sic Varronianae et Verrianae doctrinae coniunctionem in enarratione Aprilis et Maii nominum (Macr. I, 12, 8—19) recte exposuit Kettnerus (Beobacht. p. 14 sqq.; breuiter de eadem re monuerat Th. Mommsen, C. J. L. I p. 364. 390), nisi quod Varronis doctrinam plerumque per Verrium tantum ad Macrobii auctorem peruenisse arbitrari uidetur. idem docemur comparata cum Macrobio ampla anni Romani enarratione, quam exhibet Plutarchus (Numa 18. 19 cf. Q. R. 19. 22. 86) et ipsam per Jubam e Varrone et Dionysio haustam (u. Barth l. c. p. 32 sqq.): qua in disputatione cum plurimis locis Macrobius et Plutarchus consentiant, longe plurima ad utrumque e Varrone redundasse patet; tamen est etiam ubi discrepent (u. gr. de anno Romuleo Macr. I, 12, 3 sqq. Plut. Num. 18 init.) et cum Dionysius non multa de hoc argumento tradiderit, probabile est, ubi differunt Macrobii et Plutarchi narrationes, hunc Varronis, illum alius scriptoris, id est ni omnia fallunt Verrii uestigia premere. in

[1]) Vide quae docet Barth l. c. p. 41 sqq., 49 sqq., contra quem nihil proficit Kettner, Beobacht. p. 26 sq. ideo Plutarchum non Varronis sed Verrii doctrinam referre docens, quod Romuli nutrici Accae Larentiae nomen inderet, quod a Varrone alienum est. sed sumpsit Plutarchus hoc nomen per Jubam e Dion. Halic. I 84. itaque non modo non infringitur, sed uel stabilitur Barthii opinio.

capitibus denique 15 et 16, quippe quae uersentur in enucleanda uerborum significatione, praeualere Verrianam eruditionem[1]) non mirum est, sed Varroniana quoque non pauca adgnoscuntur comparatis imprimis libri de lingua latina sexti §§ 27—31. quae cum abunde sufficiant unum addo exemplum, e quo elucet, qua ratione auctores suos Suetonius descripserit: dies postriduani cur atri nuncupentur similiter narrant Gellius V 17 et Macrobius I, 16, 21 sqq., sed ita ut adpareat, hic non ut saepius Macrobium Gellii scrinia compilauisse, sed utramque narrationem ex eodem fonte fluxisse. Gellius uero unde sua deprompserit ipse indicat: sumpsit e Verrii Flacci libro de uerborum significatu quarto eiusque sententiam ad uerbum refingere uidetur. itaque e Verrio quin Suetonius quoque a Macrobio compilatus narrationem suam sumpserit dubium esse non potest. sed cum compluribus locis a Gellio discrepet Macrobius, ampliora tradat (§ 22, 25), ueriorem nominis formam ‚L. Aquinius' seruauerit (cf. C. O. Mueller, Etrusker II p. 35 n. 63) al., Suetonium proprio iudicio aliisque etiam fontibus adhibitis eruditionem Verrianam in suum usum conuertisse patet: ex quo praecipue auctore disputationem Verrianam amplificauerit[2]) certe non licet adsequi, sed eum non neglexisse quae de diebus atris Varro disputauerat in antiquitatibus humanis (cf. de l. l. VI 29) ex eis quae adhuc disputaui probabile uidebitur.

[1]) Cf. Macr. I, 15, 9 sq. c. fast. Praen. ad Jan. 1. Macr. I, 15, 21 c. Fest. p. 178 u. Nonarum dies. Macr. I, 16, 6 c. Paul. p. 92 u. feriae statae, p. 62 u. conceptiuae feriae, Fest. p. 173 u. nundinae. Macr. I, 16, 14 c. fast. Praen. ad Jan. 2, Fest. p. 165 u. nefasti dies, Paul. p. 93 u. fastis diebus, fast. Praen. ad Jan. 3, Fest. p. 314 u. status dies. Macr. I, 16, 15 c. Paul. p. 103 u. iusti dies, p. 226 u. praeliares dies. Macr. I, 16, 36 c. Paul. p. 120 u. lustrici dies.

[2]) Minime enim persuadet Kettnerus (Beob. p. 14) Gellio adcurationem fuisse in describendo Verrio Macrobii auctorem; Gellius enim se ipsa Verrii uerba referre diserte profitetur (‚Urbe, inquit, a Gallis Senonibus recuperata').

II.

Venio ad alteram dissertationis partem, qua ex libelli consilio exponendum est de fontibus a Macrobio in extrema libri primi parte inde a cap. 17 adhibitis: sunt uero haec capita, in quibus agitur de diuersorum deorum natura atque indole, peculiari disquisitione minime indigna, cum non solum quid quarto p. Chr. n. saeculo de diis senserint uiri eruditi nusquam fusius enarretur, sed etiam multa hic nobis seruata sint poetarum ueterum fragmenta, multa antiquorum philosophorum de diis placita. totam autem illam disputationem, quae continetur capp. 17—23, ex uno eodemque auctore depromptam esse ipsa luce clarius est, cum singula capita in uicem se tueantur atque confirment: primo enim capite (17) Apollinem ad solem referendum esse larga disputatione docemur; tum in c. 18 ut idem de Libero statuamus ita adducimur, ut Liberum eundem esse atque Apollinem docte et copiose explicetur; neque aliter (c. 19) Mars cum Libero, Mercurius cum Apolline, (c. 20) Aesculapius cum Apolline coniunguntur, ut ita adpareat omnes esse meras solis emanationes. neque in eo offendendum est, quod non aeque copiose de singulis diis exponitur, cum manifestum sit ampliorem disputationi materiam praebuisse Apollinem, Liberum, Jouem quam Attinem, Osirin, Adad aliosque exterarum gentium deos; fortasse etiam ipse Macrobius in compilando non aeque diligenter excerpsit quae ad istos deos spectabant quam quae ad Graecos Romanosque. emblemata aliunde inserta non multa in his capitibus adgnoscuntur; imprimis huc pertinent quae de ludorum Apollinarium origine I, 17, 27—30 ex ‚annalium scriptoribus‘ narrantur satis diuersa ab horum capitum uniuersa indole; etenim cum antea qua de causa ludi Apollinares instituti essent non modo narratum sed etiam allegorice explicatum esset (allegoricam fabularum

interpretationem latissime in his capitibus patere adparet) iam § 27 sine ullo artiore conexu [1]) altera eorundem ludorum origo traditur, nimirum ex auctore non mythologico siue theologico, qualem in reliquis horum capitum partibus Macrobius sequitur, sed ex historico deprompta. [2]) fortasse eodem modo in continuam auctoris sui narrationem Macrobius inseruit I, 18, 23 sq. e commentario Vergiliano, quamquam negare non licet haec etiam in fonte Macrobii exstare potuisse. —

Sed ut iam ad ipsam fontis inuestigationem ueniamus, hoc unum primo obtutu adparet ex scriptore aliquo graeco aut a Macrobio aut ab eius auctore totam hanc disputationem (I 17—23) haustam esse. quod non modo inde conligitur, quod multo plures aduocantur auctores Graeci quam Latini, sed etiam quod, cum e deorum cognominibus ad eorum indolem pernoscendam argumenta petantur, nunquam fere ad Romana sed ad Graeca tantum cognomina prouocatur itemque Graecorum plerumque, non Romanorum antiquitates sacrae ritusque in examen uocantur, nonnumquam ita, ut referantur res Romanorum moribus plane aduersae. [3]) postremo, ut ne externo quidem quod uocant testimonio careamus, compluriens casu aut potius excerptoris socordia factum est, ut uerba nonnulla graeca non uerterentur in latinum sermonem, sed integra remanerent in medio contextu, quem uocant, latino, neque id tum solum, cum ad interpretationem aliquam recte intellegendam seruatis uerbis graecis opus esse uidebatur (u. gr. I, 17, 6: ,*Ἰήιος ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι* id est a sanando et *Παιὰν ἀπό τοῦ παύειν τὰς ἀνίας*'), sed etiam alibi, ut I, 19, 13 ,caelum autem Argum uocari placuit a candore et uelocitate *παρὰ τὸ λευκὸν καὶ ταχύ*' I, 20, 11 ,significantes Herculem hunc esse *τὸν ἐν πᾶσι καὶ διὰ πάντων ἥλιον*', I, 23, 3

---

[1]) Vide quam laxe haec et cum antecedentibus et cum insequentibus coniuncta sint: § 27 ,sed inuenio in litteris . . . .' § 30 ,haec praecipue traditur origo ludorum Apollinarium.'

[2]) Unde hanc narrationem Macrobius arcessiuerit nunc non quaero. hoc tantum moneo eam eandem prae se ferre indolem, quam u. gr. l. III c. 9 (de deorum euocatione) et l. III c. 13—18, quae omnia et ipsa ad antiquitates Romanas pertinent fluxeruntque e libro aliquo post Serenum Sammonicum, Septimii Seueri imperatoris aequalem, condito. sed huc fortasse alia data occasione redibimus.

[3]) Sic cum triumphorum auctorem Romani praedicent Iouem et Herculem, Dionysum Graeci, hanc alteram opinionem amplectitur Macrobius I, 19, 4.

‚θεοὺς autem dicunt sidera et stellas ἀπὸ τοῦ θέειν id est τρέχειν quod semper in cursu sint ἢ ἀπὸ τοῦ θεωρεῖσθαι, I, 17, 50 ‚Ἀπόλλων Πύθιος οὐκ ἀπὸ τῆς πεύσεως id est non a consultatione oraculorum dictus a physicis aestimatur, sed ἀπὸ τοῦ πύθειν id est σήπειν, quod nunquam sine ui caloris efficitur' al. (cf. Janus ad Sat. I, 8, 6). quae quin graecum fontem sapiant haud facile quisquam in dubitationem uocabit.

Itaque iam eo progredimur, ut recentiorum Platonicorum doctrinae Macrobii auctorem addictum fuisse statuamus paucisque hoc, ut par est in re nemini non probata, argumentis adseramus. iam aliquid inde conligere licet, quod e philosophis soli citantur Platonici et Stoici, quos in theologia recentiorum Platonicorum duces fuisse probe scimus (u. E. Zeller, Philosophie der Griechen [2] III, 2 p. 375), eodemque spectat quod Macrobio multis locis mirum quantum conuenire uidemus cum eo libro, quo Stoicorum theologia nobis tradita est, dico L. Annaei Cornuti περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως commentarium: sic Apollinem a uerbo ἀπολλύναι uel ab ἀπελαύνειν (τὰς νόσους) deriuari pariter docent Macrob. I, 17, 9 et 14 Cornut. p. 193 Osann; cur Apollinis simulacra arcum gestent conuenit inter Macr. I, 17, 12 et Cornut. p. 191; cognomen Λοξίας eadem ratione interpretantur Macr. I, 17, 31 Corn. p. 197, itemque cognomen Δήλιος Macr. I, 17, 32 Corn. p. 196, cognomen Φοῖβος Macr. I, 17, 33 Corn. p. 195. Liberum patrem et iuuenem et barbata specie fingi docent Macr. I, 18, 9 Corn. p. 180, thyrsum telum esse cuius mucro sub hedera lateat Macr. I, 19, 2 Corn. p. 179 sq., Liberum bellorum potentem et triumphi auctorem esse (paene iisdem uerbis) Macr. I, 19, 4 Cornut. p. 184; quae de Mercurio exhibet Macr. I, 19, 7 sqq. admodum similia sunt Cornuto p. 62 sqq. (cf. imprimis Macr. I, 19, 4 c. Corn. p. 68 sq.); porro cur Aesculapio draco sacer sit eadem ratione expediunt Macr. I, 20, 2 et Cornut. p. 204, terram esse Ἑστίαν probant Macr. I, 23, 8 Corn. p. 156 al. neque minus reliqua omnia scriptorem aliquem Neoplatonicum a Macrobio compilari arguunt, ut allegorica fabularum interpretatio, Orphei aduocata auctoritas, astrologiae et deorum orientalium populorum (ut Aegyptiorum, Assyriorum al.) habita ratio, denique illud totius disputationis consilium, quo dii diuersi commiscentur et confunduntur atque ad solem omnes referuntur (cf. uerba Macrobii I, 17, 2—5): quae omnia ad solam fere recentiorum Platonicorum doctrinam quadrant.

Sed cum Neoplatonicorum uestigia Macrobium premere adeo ab omnibus adgnoscatur (u. Zeller l. c. p. 774, 3), ut si longius in hac re morarer, acta agere uiderer, pergo ad nouam eamque grauissimam quaestionem, cuiusnam ex illius scholae philosophis eruditionem Macrobius referre uideatur. atque cum post Porphyrii philosophi aetatem Macrobii auctorem uixisse inde efficiatur, quod Macrobius Porphyrium nominat (I, 17, 70), in duplicem sententiam abire possumus: scilicet aut habuit Macrobius ipsius Porphyrii doctrinam per auctorem aliquem latinum suppeditatam[1]), aut tota disputatio redit ad philosophum Neoplatonicum Porphyrio recentiorem. e quibus sententiis ut alteram ueriorem aut potius unice ueram esse existimem multa sunt quae me moueant. nam primum quidem hoc uix quemquam fugiet, eam doctrinam theologicam quam refert Macrobius, multo magis conuenire 'recentiori Neoplatonicorum scholae, cuius princeps erat Jamblichus Chalcidensis, quam Porphyrio: huc pertinet quod summa auctoritas tribuitur uersibus Orphicis, quod crebro aduocantur Assyriorum et Aegyptiorum mores atque sacra; imprimis tota illa, in qua omnis uersatur Macrobius, deorum plerorumque ad solem relatio aliena est, si quid uideo, a Porphyrio et a primo Jamblicho adcuratius excolitur.[2]) sed multo certiora in promptu sunt argumenta. iam mihi hoc considera: Aesculapium solem esse a Macrobio I, 20, 1—5 explicatur et ex allegorica interpretatione draconis, qui Aesculapii simulacris addi solebat, et inde quod Aesculapius idem sit atque Apollo; quid uero de eiusdem dei natura senserint et Porphyrius et Jamblichus docemur a Proclo Timaei Platonici interprete haec narrante (p. 49 C.): ‚*Πορφύριος δὲ εἰκότως φησὶ καὶ ἰατρικὴν ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἥκειν, διότι καὶ ὁ Ἀσκληπιὸς νοῦς ἐστι Σεληνιακὸς, ὥςπερ ὁ Ἀπόλλων Ἡλιακὸς νοῦς. οἷς καὶ ὁ θεῖος ἐπέπληξεν Ἰάμβλιχος, ὡς οὐ καλῶς συγχέουσι τὰς τῶν θεῶν οὐσίας οὐδὲ ὀρθῶς ἀεὶ κατὰ τὸ παρὸν τοὺς νοῦς καὶ τὰς ψυχὰς τῶν ἐγκοσμίων διανέμουσιν. ἐπεὶ καὶ Ἀσκληπιὸν ἐν Ἡλίῳ θετέον καὶ προϊέναι ἐπὶ τὸν γεννητὸν τόπον*‘ rel. unde adparet Porphyrium Aesculapium ad Lunam rettulisse, Jamblichum (perinde atque facit Macrobius) ad Solem:

[1]) Nam Macrobium non ipsum fontem Graecum compilare, sed eius notitiam per auctorem latinum accepisse, infra demonstrabitur.

[2]) Cf. Zeller l. c. p. 629, qui multa adfert exempla deorum a Jamblicho ad solem relatorum. quibus unum addo: uel Plutonem ab illo Solem explicatum esse docet Lyd. de mens. p. 114, 18 Bekk.

itaque cum fieri non posse supra uiderimus, quin aut ad ipsum Porphyrium aut ad alium philosophum Neoplatonicum Porphyrio iuniorem Macrobiana disputatio reuertatur, illud prius iam excluditur atque simul Procli illo loco probabile fit ipsum Jamblichum esse Macrobii auctorem. quae suspicio luculenter comprobatur comparato Macrobio cum eo libro, qui pleraque seruauit Jamblichi placita theologica, dico Juliani imperatoris orationem quartam *εἰς τὸν βασιλέα Ἥλιον πρὸς Σαλούστιον*, quam totam Jamblicho deberi compluriens ipse profitetur Julianus (p. 146 A. 150 D. 157 D.). adgnoscitur autem tantus inter Julianum Macrobiumque in diis interpretandis consensus, ut ex eodem fonte utriusque doctrinam oriundam esse pateat. nam quamuis Julianus tumultuaria tantum opera nonnulla e Jamblichi scriptis adripuerit magis quam excerpserit[1]), Macrobius autem continua disputatione singula persequatur atque Julianus argumenta atque testimonia, in quibus adferendis multus est Macrobius, pleraque omnia omittat, tamen in ea re, quae utrique maxime cordi est, nempe ut demonstrent deos plurimos esse solis emanationes, ita congruunt, ut nihil ultra desiderare possis: nam perinde ac Macrobius Julianus ad Solem refert Apollinem (passim, ut p. 144 B. 149 C. al. cf. Macr. I, 17), Liberum (p. 144 A. 148 D. cf. Macr. I, 18), Mercurium et Martem (p. 150 D. cf. Macr. I, 19), Aesculapium (p. 144 B. cf. Macr. I, 20, 1—5), Sarapin (p. 136 A. cf. Macr. I, 20, 13—18)[2]), Horum (p. 148 D. Macr. I, 21, 13), Jouem (p. 149 BC. al. Macr. I, 23). itaque uides de omnibus fere, quos in examen uocauit Macrobius, diis ei cum Juliano conuenire, exceptis paruis illis atque externis (ut Attine Osiride aliis), quos adferre supersedit Julianus.

---

[1]) Cf. Julian. p. 157 BC. ‚*ταῦτά σοι, ὦ φίλε Σαλούστιε, κατὰ τὴν τριπλῆν τοῦ θεοῦ δημιουργίαν ἐν τρισὶ μάλιστα νυξὶν ὡς οἷόν τε ἦν ἐπελθόντα μοι τῇ μνήμῃ καὶ γράψαι πρὸς σὲ ἐτόλμησα, ἐπεὶ σοι καὶ τὸ πρότερον εἰς τὰ Κρόνια γεγραμμένον ἡμῖν οὐ παντάπασιν ἀπόβλητον ἐφάνη. τελειοτέροις δ' εἰ βούλει περὶ τῶν αὐτῶν καὶ μυστικωτέροις λόγοις ἐπιστῆσαι, ἐντυχὼν τοῖς παρὰ τοῦ θείου γενομένοις Ἰαμβλίχου περὶ τῶν αὐτῶν τούτων συγγράμμασι τὸ τέλος ἐκεῖσε τῆς ἀνθρωπίνης εὑρήσεις σοφίας.*‘ cf. p. 150 D.: *Ἰάμβλιχος, παρ' οὗ καὶ τἆλλα ἐκ πολλῶν μικρὰ ἐλάβομεν.*

[2]) Versum Orphicum Macr. I, 18, 8 tradit *εἷς Ζεὺς εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος εἷς Διόνυσος*, Julianus l. c. *εἷς Ζεὺς εἷς Ἀΐδης εἷς Ἥλιός ἐστι Σάραπις*, nescio an sola Juliani neglegentia, cum Macrobio adstipuletur Justini Martyris testimonium: cf. G. Hermann, Orphica p. 455; neque minus neglegenter Julianus hunc uersum non Orphei sed Apollinis uaticinantis esse dicit.

haec sufficere arbitror ut demonstretur, Macrobium non minus quam Julianum ab Jamblicho pendere.[1]) qui uero Jamblichi liber ab utroque usurpatus sit quamuis pro certo nequeat diiudicari, tamen ualde probabile est, pertinere hanc disputationem theologicam ad eum librum, quem *περὶ θεῶν* scripsisse Jamblichum testantur Damasc. de prim. princip. p. 171 Kopp et Procl. theol. Platon. I, 11 (p. 28 ed. Hamburg. a. 1618)[2]); sane argumentum disputationum et Juliani et Macrobii optime huic libro conuenit. sed haec quidem hactenus; satis enim indicauisse mihi uideor, cur relinquendam duxerim uulgatam de horum Macrobii capitum fonte opinionem, quam ita exhibet Zeller l. c. p. 775 not. ‚Neben ihm (scil. Plotinum) und den früheren Philosophen wird auch Porphyr genannt (a Macrobio), dessen Commentar zum Timaeus (Somn. II, 3, 15) er kennt; Jamblichs dagegen und der späteren Neuplatoniker geschieht keine Erwähnung. Da sich ähnliches, wie bemerkt, bei Augustin findet, so ist zu vermuthen, dass man im Westen noch um den Anfang des fünften Jahrhunderts nur mit jenen römischen Neuplatonikern näher bekannt war, deren einfachere Lehrweise der römischen Denkart auch an sich wohl besser zusagte, als die phantastische Scholastik Jamblichs und seiner Nachfolger.‘ quam opinionem ut argumentis infringerem num mihi contigerit candidi iudices uideant.

Jamblicheam doctrinam quod deprehendere mihi uisus sum in his Saturnaliorum capitibus, minime ita accipi uolo, ut ipsum Jamblichi *περὶ θεῶν* librum a Macrobio usurpatum esse putem. insunt enim nonnulla in hac disputatione mythologica, quae neque apud Jamblichum neque omnino apud ullum scriptorem graecum esse poterant, sed auctorem Romanum a Macrobio compilari arguunt. nolim huc referre quod compluriens in testimonium uocantur uersus Vergiliani (ut I, 17, 23 sq.; 21, 23); eos enim e commentario aliquo Vergiliano inserere poterat Macrobius, qualia emblemata iam compluriens deprehendimus.

---

[1]) Ne hoc quidem casu factum esse arbitror, ut Julianus deos inuocans ita loqueretur p. 132 A.: ‚*ἀλλ᾽ ἔμοιγε τούτου παρασταίη ὅ τε λόγιος Ἑρμῆς ξὺν ταῖς Μούσαις ὅ τε Μουσηγέτης Ἀπόλλων, ἐπεὶ καὶ αὐτῷ προσήκει τῶν λόγων*‘ conl. Macr. I, 19, 7 ‚quod Apollo Musis praesidet, Mercurius sermonem, quod est Musarum munus, impertit‘.

[2]) Jamblichi *περὶ θεῶν* librum a Juliano compilari primus, quod sciam, monuit Fabricius, Bibl. graeca IIII, 2, p. 293 adsentiente E. Zellero l. c. p. 616 n.

sed alia multa occurrunt, quae cum reliquis adeo cohaerent, ut nequeant non ab eodem auctore oriunda esse: dico deorum nominum etymologias latinas (c. 17, 7; 15. 18, 6 cum uersu Naeuii) atque imprimis morum Romanorum mentiones: sic I, 17, 15 exponitur quomodo uirgines Vestales Apollinem indigitent, I, 17, 25—26 de hostibus ludorum Apollinarium tempore ingruentibus, I, 17, 42 de Jano patre (cf. I, 17, 64); Varro et Granius citantur I, 18; 4; I, 19, 3 Romanos Martem et Liberum patres appellauisse docemur, I, 21, 6 eos Aprilem mensem Veneri dedicauisse[1]), I, 23, 13 apud Antium simulacra Fortunarum uehi ad danda responsa etc. haec omnia Macrobius neque apud Jamblichum reperire poterat neque aliunde addere: restat ut et doctrinam Jamblicheam et haec additamenta ad res Romanas spectantia coniuncta in uno fonte eoque latino repperit, id est, ut Macrobio Jamblichi placita in latinum sermonem conuersa additamentisque aucta scriptor aliquis latinus suppeditauerit. quem cum intra Jamblichi et Macrobii tempora, id est saeculo quarto medio aut exeunte, uixisse consentaneum sit, nomen eius ne coniectura quidem licebit adsequi: similia uero studia illius aeui Romanis accepta fuisse docemur exemplo Marii Victorini, qui florebat circa medium saeculum quartum quemque quosdam libros Platonicorum (Neoplatonicorum uidelicet) in latinam linguam transtulisse auctor est Augustinus (Confess. VIII 2). —

Ex latinis scriptoribus praeter Naeuium et Vergilium poetas Macrobii auctor solos excitauit Cornificium incertae aetatis etymologum, Granium Flaccum, Varronem, Cornelium Labeonem: quos uix omnes ipse oculis usurpauit, immo fortasse solum Cornelium Labeonem adhibuit, qui et ipsi aetate erat proximus et prorsus simili uidetur usus esse fabularum interpretandarum ratione atque Platonici recentiores. quod si recte coniecimus (nam ut argumentis iustis demonstrari possit uereor), optime expeditur, quod has Macrobii disputationes theologicas saepe concinere uidemus cum Arnobio[2]), inter cuius auctores principales Cornelium Labeonem fuisse non inscite opinatus est G. Kettner (Cornel. Labeo p. 8 sqq). postremo adnotandum est Laurentium

[1]) Fortasse hoc Macrobius repetiit ex I, 12, 8 sqq.

[2]) Arnob. III 33 Liberum Apollinem Solem eundem deum esse adfirmat sicut Macr. I, 18, 1; Arnob. III 32 Vestam terram esse dicit, cum in mundo stet sola, quod idem docet Macr. I, 23, 8 etc.

quoque Lydum saepe manifeste cum Macrobio congruere:[1]) qui utrum eodem atque ille auctore usus sit an Jamblichi de diis placita a recentiore quodam Neoplatonico (fortasse a Proclo) acceperit dubius haesito; sunt quae illud suadeant, sed certo iudicio abstinere praestat.

Itaque perpensis omnibus, quae facere possunt ad indolem fontis a Macr. I 17—23 adhibiti adcuratius pernoscendam, superest ut eundem etiam in aliis Saturnaliorum capitibus usurpatum esse adnotem. atque primum quidem disputationem de Bona Dea (I c. 12 § 20—29), quae in Suetonianam anni Romulei enarrationem inserta est, ut ex eodem fonte ductam esse censeam atque ultima libri primi capita imprimis inducor ratione simillima, qua utroque loco in deorum naturam inquiritur: utroque loco eadem occurrit allegorica fabularum interpretatio, eadem complurium deorum commixtio atque confusio: sicuti ibi plerique dei ad solem, sic hic ad terram deae complures referuntur. quo accedit quod Cornelius Labeo, quem post Jamblichum praecipuum eorum quae in capp. I 17 sqq. narrantur auctorem esse non immerito, ut spero, suspicatus sum, etiam hoc loco nominatur atque ita, ut ei maior disputationis pars deberi uideatur: quod ideo consentaneum est, quia haec ad Romanas magis quam ad Graecas fabulas pertinent.[2]) ceterum Laurentii Lydi concentu, quem in cap. I 17—23 frequentem deprehendimus, ne haec quidem disputatio caret (cf. imprimis de mens. IIII 53).[3]) —

Deinde eadem fabularum enarrandarum ratio[4]) adgnoscitur in

---

[1]) Cf. Macr. I, 17, 7 c. Lyd. p. 15, l. 24, 17. Macr. I, 18 c. Lyd. p. 72, 8. Macr. I, 18, 11 c. Lyd. p. 72, 12. Macr. I, 18, 15 c. Lyd. p. 73, 22. Macr. I, 20, 1 sqq. c. Lyd. p. 70, 9. Macr. I, 20, 6 sqq. c. Lyd. p. 86, 4. Macr. I, 20, 11 sqq. c. Lyd. p. 15, 4. Macr. I, 23 c. Lyd. p. 53, 5.

[2]) Labeo e Varrone nonnulla uidetur hausisse, siquidem Plutarchum, qui tradit Macrobianis similia (Q. R. 20. Caes. 9) per Jubam Varrone usum esse recte statuit Barth l. c. p. 20 sqq.

[3]) Quod Macr. I, 12, 20 uocem nascenti homini terrae contactu dari adfirmat, huius sententiae auctor apud Lydum p. 90, 20 nominatur *Μούμμιος ὁ Ῥωμαῖος*, apud eundem p. 45, 16 *Νουμήνιος* (sic Bekkerus, ante quem uulgo legebatur *Νουμίνιος*) *ὁ Ῥωμαῖος*. in hoc nomine, quod certe altero utro, fortasse utroque loco corruptum esse patet, latere facile aliquis suspicetur nomen eius scriptoris, quem descripsit Macrobius. sed cum neque de nomine constet neque exploratum sit, num reuera eodem atque Macrobius auctore Byzantinus usus sit, ad meras hariolationes res redit.

[4]) Luculentum similis fabularum interpretationis exemplum uide hoce: I, 8, 4 ,illud non omiserim Tritonas cum bucinis fastigio Saturni aedis

disquisitione quae est de Saturni dei natura I, 8, 4—12: quam ad graecum fontem redire adparet ex exemplis qualia sunt I, 8, 6 ,est porro idem *Κρόνος καὶ χρόνος*', I, 8, 9 ,nostri eum Saturnum uocitauerunt *παρὰ τὴν σάθην*' al. (u. supra p. 36 sq.). tum uero arte haec cohaerere cum disquisitionibus mythologicis quae leguntur in fine libri non solum inde adparet, quod Apollodorus, qui ibi bis excitatur (I, 17, 19; 20, 4), hic quoque aduocatur (I, 8, 5), sed quod summa huius de Saturno disputationis breuiter repetitur I, 22, 8, ita ut uerisimile fiat haec omnia ex eodem fonte esse oriunda. et mirum quantum fauet huic opinioni quod Arnobius, quem compluriens concinere uidimus cum Macr. I, 17 sqq., etiam de Saturno similia refert Macrobio (Arnob. III 29. IIII 24.). omnis uero dubitatio remouetur examinata ea quae proxime sequitur (I 9) de Jano deo disputatione, quae quin ex eodem fonte hausta sit atque caput praecedens omnino nequit dubitari. nam non modo talem deprehendimus argumenti indolisque similitudinem, ut non possit esse ouum ouo similius, sed etiam in rebus minutis congruunt, ut in distinguendis physicorum et mythicorum sententiis (I, 8, 6; 9, 1; 2; 5).[1]) hanc uero disputationem et ipsam ex eodem fonte delibatam esse atque extrema illa huius libri capita non solum tota narrandi ratio arguit, sed etiam quod hic idem qui in illis capitibus obuiam fit Cornuti, Arnobii, Lydi concentus: de Apolline qui uocatur *Ἀγυιεὺς* cum Macr. I, 9, 6 consentit Cornut. p. 200, cum Macr. I, 9, 9—11 Arnob. III 29 (cf. Kettner, Cornel. Labeo p. 14 sq.), cum toto hoc capite Lydus de mens. IIII 1 et 2. neque id contemnendum esse arbitror, quod iste Cornificius, cuius Etymorum libri aduocantur I, 17, 9; 33; 62. I, 23, 2 etiam in hoc capite excitatur (I, 9, 11): omni enim probabilitate caret scriptoris tam raro adhibiti[2]) usum duobus diversis Macrobii auctoribus communem fuisse. itaque ex hac ratiocinatione certum fieri uidetur, narrationes quae sunt de

---

superpositos, quoniam ab eius commemoratione ad nostram aetatem historia clara et quasi uocalis est, ante uero muta et obscura et incognita, quod testantur caudae Tritonum humi mersae et absconditae.' quibuscum conferri iubeo I, 20, 9 de Gigantibus: ,horum pedes in draconum uolumina desinebant, quod significat nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius uitae eorum gressu atque processu in inferna mergente.'

[1]) Physicorum in capp. I, 17 sqq. frequens exstat mentio: u. I, 17, 50; 54. 18, 15. 21, 1. 23, 2.

[2]) De quo cf. Teuffel, Roem. Litt. Gesch.[3] § 209, 2.

Saturno et Jano deis ex eodem fonte fluxisse atque ultima libri primi capita (I, 17—23). solae eximendae uidentur capitis noni extremae duae paragraphi (I, 9, 17 sq.); nam quae ibi de Jani portis narrantur neque satis cohaerent cum reliquis neque eandem prae se ferunt indolem, ita ut aliunde adnexa uideantur; atque cum Seruius (ad Aen. I 291) similia referat, in procliui est coniectura, haec e commentario aliquo Vergiliano arcessita esse: poterant haec adnotata esse et ad hunc quem dixi Vergilii uersum et ad laios similes (ut ad Aen. VII 610. VIII 361 al.).

III.

Quae ad interpretanda inlustrandaque Vergilii carmina per Saturnaliorum libros III—VI Macrobius congessit, tam uariae sunt indolis pretiique, ut ea e diversis diuersorum temporum auctoribus excerpta esse facile sit intellectu: multa Macrobius deprompsit e commentario aliquo perpetuo, quem uocamus, Vergiliano quarto saeculo conscripto, fortasse Aelii Donati; multa neque ea indocta fluxerunt ex alio commentario, qui non ad uersus sed ad res erat dispositus atque interpretabatur uerba pontificalia a Vergilio proprio sensu adhibita, similisque indolis fuisse uidentur eae quae in libris IIII V VI excerpuntur conlectiones, quae poetam ex artis rhetoricae praeceptis atque ex poetarum graecorum latinorumque conlatione inlustrabant. sed haec omnia nunc non curo unamque tantum mihi huc reseruaui quaestionum Vergilianarum particulam a ceteris et toto habitu et doctrina non communi ualde diuersam: dico libri quinti capita extrema inde a duodeuicesimo, ubi quid ‚de Graecarum litterarum penetralibus Vergilius eruerit' comparatis poetis scriptoribusque Graecis docte et copiose enarratur. quae cum ad auctorem graecum eumque doctissimum reuerti in aperto sit, iam demonstrare conabor contineri his capitibus Didymi Chalcenteri doctrinam a Romano quodam grammatico ad Vergilii interpretationem adhibitam. itaque uideamus singula.

V, 18, 2—12 Macrobius ad enarrandum uersum Verg. Georg. I 9 ‚poculaque inuentis Acheloia miscuit uuis' refert Graecorum doctrinam de Acheloo flumine omnium antiquissimo, cuius nomen hanc ob causam in generalem omnis aquae significationem abierit, prouocans ad Aristophanem in comoedia Cocalo, Ephorum historiarum libro secundo, Didymum in libris quos *τραγῳδουμένης λέξεως* scripsit, Euripidem in Hypsipyla:

unde quisquis scriptorum ueterum in citandis auctoribus moris mediocriter gnarus est cognoscit solum Didymum totius de Acheloo disputationis fontem esse et ab eo laudatos esse Aristophanem, Ephorum, Euripidem, quos numquam oculis usurpauit is quem Macrobius describit; atque ita re uera rem se habere, si argumentis opus est, ex ipsis Macrobii uerbis patet, qui Euripidis uersus e Didymo citat (§ 11) et Ephori quoque locum apud eum adlatum fuisse indicat § 9 ‚Didymus enim — grammaticorum omnium facile eruditissimus, posita causa quam superius Ephorus dixit, alteram quoque adiecit‘. itaque e Didymi *τραγῳδουμένης λέξεως* libris tota narratio fluxit indidemque hausta sunt quae de eadem re passim adnotauerunt scholiastae graeci [1]); qui cum omnes nihil referant nisi Acheloum omnem aquam ueteres dixisse omissis omnibus argumentis testimoniisque, quae large adposuisse Didymum e Macrobio scimus, facile subscribas uerbis Mauricii Schmidt (Didymi frag. p. 85) ‚uix ullum locum aptiorem esse ad demonstrandum uberrimas Didymi explicationes plerumque in exsangues exsuccasque umbras transformatas paene euanuisse‘. —

Sequitur Sat. V, 18, 13—21 disputatio de loco Verg. Aen. VII 689, ubi Hernici sinistro pede nudo in pugnam proficisci perhibentur: qui mos ut inlustretur primum Hernicos a Pelasgis oriundos esse Hygini auctoritate adfirmatur, tum uero Aetolos, qui et ipsi Pelasgi esse dicuntur, hac consuetudine usos esse ex Euripidis Meleagro demonstratur adlato simul loco Aristotelis, qui reprehendens Euripidem Aetolos non sinistro sed dextro pede nudo ad bellum proficisci dicit. atque coniecerit fortasse quispiam, ut priore loco tota disputatio e Didymo (qui ipse citauerat Aristophanem Ephorum Euripidem) fluxit, ita hanc ex Aristotele neque aliunde Macrobii auctorem Meleagri Euripideae uersus notos habuisse: quod secus est. nam primum ita non intellegeremus, cur ab Aristotelis auctoritate desciscere uoluerit Macrobii auctor atque amplexus sit Euripidis a summo illo uiro castigati sententiam, tum uero Aristotelem duos tantum uersus Euripidis descripsisse ex ipsis eius uerbis a Macrobio adpositis patet, apud Macrobium autem nouem uersus Meleagri

[1]) M. Schmidt haec contulit: Hesych. s. u. *Ἀχελῷος*. Schol. Eurip. Andromach. 167. Eustath. p. 1367, 39. Schol. Hom. *Φ* 194. *Ω* 616; quibus adde Schol. Aesch. Pers. 866. Schol. Eurip. Hippol. 121. Etym. M. p. 181, 10.

leguntur, quos non poterat omnes ex Aristotele sumere. inde conligitur a Macrobii auctore compilari scriptorem, qui adlatis locis et Euripidis et Aristotelis huius reprehensionem ab illo defendit. iam porro scholiasta Euripidis ad Phoen. u. 138 haec tradit ‚*ἴσως ὅτι ἐξηλλαγμένοι οἱ Αἰτωλοὶ περὶ τὰς ὁπλίσεις, καταστίκτους αὐτὰς ἔχοντες, καθάπερ καὶ τὴν ὑπόδεσιν, ὥστε τὸν δεξιὸν μὲν ὑποδεδέσθαι πόδα, γυμνὸν δὲ ἔχειν τὸν ἀριστερόν*‘, neglecta Aristotelis auctoritate aperte amplexus eam sententiam quam refert Macrobius [1]), ita ut nequeat hoc scholion non ad eundem atque ille fontem redire. cum uero principalem scholiorum Euripideorum fontem Didymum esse inter uiros doctos iam dudum constet [2]), apud Macrobium autem eam, quae proxime antecedit narrationem e Didymo fluxisse exploratum sit eiusque tota indoles cum hac mirum quantum congruat, uix nimis audacem dixeris coniecturam meam etiam hanc de Aetolis dextro pede calceatis dissertationem ad Didymum (atque ad eosdem fortasse *τραγῳδουμένης λέξεως* libros) referendam esse. cui coniecturae nescio an fulcrum haud mediocre praebeat fragmentum Didymi quod est apud Photium bibl. 533^b 17 ex Helladio excerptum (M. Schmidt l. c. p. 397): ‚*ὅτι παροιμίαν εἶναί φησι τὸν δεξιὸν ὑποδεῖσθαι πόδα, τὸν δ᾽ ἀριστερὸν νίζειν. φησὶ γὰρ ὁ Πολέμων ὡς μαρτυρεῖ Δίδυμος ‹δεξιὸν εἰς ὑπόδημα, ἀριστερὸν εἰς ποδάνιπτρα›*‘. quae etsi ad aliam rem spectant atque disputatio Macrobiana, tamen aliquatenus cum ea uidentur cohaerere neque casu factum esse puto ut et Macrobius et Didymus de d e x t r o pede calceato loquerentur: hoc sane negari nequit potuisse Didymum, cum in lexi tragica ad inlustrandos illos Meleagri Euripideae uersus contra Aristotelem disputaret, prouocare ad illam sententiam prouerbialem a Polemone positam.

Simili condicione utitur ea quae proxime sequitur narratio (V, 19, 1—6), ubi reprehenditur Cornutus Vergilii interpres quod nesciuerit Vergilium Didoni moriturae crines abscidi finxisse ad exemplum Euripidis, qui in Alcestide Orcum in scaenam inducat gladium gestantem, quo crinem abscidat Alcestidi. quibuscum congruit fere schol. Eurip. Alcest. 74: ‚*ὡς κατάρξωμαι*

[1]) Rem in medio relinquit schol. Pind. Pyth. IIII 133: ‚*εἰσὶ δὲ καὶ Αἰτωλοὶ πάντες μονοκρήπιδες διὰ τὸ πολεμικώτατοι εἶναι.*

[2]) Cf. M. Schmidt l. c. p. 274 sqq. Th. Barthold, de scholiorum in Euripidem ueterum fontibus [Bonnae 1864] p. 26 sqq.

ξίφει· κατάρξομαι ἀντὶ τοῦ ἀπάρξομαι, ἵνα ἀπαρχὴν τῶν τριχῶν λάβω, ὡς ἔθος ὄντος τὸν θάνατον τοῦ μέλλοντος ἀποθνήσκειν τὴν κόμην τέμνειν ξίφει, οἷον οὐκέτι δυνατὸν ἦν ζῆν' quae possunt profecto ad Didymum redire. minus certe de reliqua huius capitis parte iudicari potest. nam de fonte disputationis V, 19, 6—15, qua Elissa Vergiliana aeneis falcibus herbas magicas secans comparatur cum Medea quae erat in Sophoclis Ῥιζοτόμοις, in dubio uersamur, cum similia nusquam, quantum equidem scio, referantur. quae excipit ampla de Palicis deis Sicilicis eorumque cultu narratio (V, 19, 15—31) pertinens ad Verg. Aen. VIIII 585, adhibitis auctoribus Aeschylo in Aetna, Callia in septima historia de rebus Siculis, Polemone in libro qui inscribitur περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ θαυμαζομένων ποταμῶν, Xenagora in tertia historia: horum testimonia omnia ab uno scriptore (quem compilauit Macrobii auctor) in interpretationem uersus Aeschylei conlecta esse tantum non certum est. ad Didymum bene quadrant Xenagorae et Polemonis mentiones, quorum priorem (qui omnino raro citatur) aduocat Didymus etiam in fragmento quod est apud Harpocrationem p. 115, 13 (M. Schmidt l. c. p. 317), Polemonem uero adeo adamat Chalcenterus, ut ex omnibus quae aetatem tulerunt Periegetae fragmentis maiorem partem Didymo debeamus (cf. Preller, Polem. fragm. p. 29).

Certiora Didymeae originis uestigia adparent in capite insequenti (V 20), quod uersatur in soluenda quaestione, quid significent Gargara a Verg. Georg. I 103 commemorata: ac primum quidem Gargara intellegi et cacumen Idae montis et oppidum sub eodem monte situm demonstratur citatis locis poetarum Homeri Epicharmi Arati, Ephori Phileae historicorum, tum ob humi fertilitatem uocem Gargara in significationem magnae multitudinis abiisse ex usu poetarum comicorum Alcaei, Aristomenis, Aristophanis docetur, quibus additur Aeschyli fragmentum e quo Mysiam uniuersam fertilem et umidam fuisse intellegitur. ad quae inlustranda minime desunt aliorum scriptorum similia referentium testimonia, quorum narrationes ex uno omnes auctore depromptas esse adparebit. sic prioris disputationis Macrobianae partis summam ita, ut uel ipsa uerba concinant, refert Hesychius: Γάργαρον ἀκρωτήριον ὄρους Ἴδης (Macr. ,cacumen montis Idae') καὶ πόλις Τροίας πλησίον Ἀντάνδρου (Antandri uiciniam apud Macrobium commemorat Phileas). tum Arati uersus ex ἐλεγείων libro petitos (Marc. V, 20, 8) eosdem adfert Stephan. Byzant. s. u.

Γάργαρα.[1]) alteram denique narrationis partem, quo Γάργαρα pro infinita multitudine poni demonstratur optime inlustrat scholion uetustum ad eundem Aristophanis locum (Acharn. u. 3) adscriptum quem arcessiuit Macrobius V, 20, 13: ,καὶ τὰ Γάργαρα δὲ ἐπὶ πλήθους ἐτίθετο ὡς ἐν Λημνίαις «ἀνδρῶν ἐπακτῶν πᾶσα γαργαίρει ἑστία» καὶ παρὰ Ἀριστομένει ἐν Βοηθοῖς ,ἔνδον γὰρ ἡμῖν [ἐστιν ἀνδρῶν inserit Macrobius] γάργαρα'.[2]) quae artiore uinculo cum Macrobio cohaerere docet fragmentum Aristomenis ab utroque citatum. cum uero Didymeae doctrinae uestigia in scholiis Aristophaneis late patére sciamus atque imprimis Hesychii cum illis scholiis concentus plerumque ita expediendus sit, ut uterque scriptor per uarias ambages Didymi λέξιν κωμικὴν compilauerit (cf. M. Schmidt l. c. p. 283 sqq., 289 sqq., 298), atque cum praeterea Macrobius in his quae arte cohaerent capitibus bis nominatim citet Didymum saepeque tacite eius doctrinam referat, his omnibus perpensis ultro eo ducimur ut Hesychii, interpretis Aristophanis, Macrobii narrationes pariter a Didymo pendere statuamus. Stephanus Byzantius in adferendis Arati de Diotimo scholastico uersibus usus esse uidetur Philonis Byblii libro qui erat περὶ πόλεων καὶ οὓς ἑκάστη ἐνδόξους ἤνεγκεν[3]), Philo fortasse et ipse Didymo. —

Paullo intricatior res est in capite proximo (V 21). ubi cum Macrobius disputet de uariis poculorum generibus a Vergilio commemoratis singulorumque nomina et formas poetarum scriptorumque graecorum testimoniis inlustret, horum adeo similia occurunt in Athenaei libro undecimo, ut hunc a Macrobio compilari putauerint et Janus (II 651[a]) et Otto Schneider (Nicandrea p. 72) probante Kettnero (Beob. p. 19). etenim quae de carchesio narrat Macr. V, 21, 3—7 uerbis saepe consimilibus reuertuntur apud Athen. XI p. 474 E.—475 A., itemque congruunt de cymbiis Macr. V, 21, 7—11 Athen. p. 481 D.—482 B., de cissybio Macr. V, 21, 11—14, Athen. p. 477 A.—C., de cantharo Macr. V, 21, 14 sq. Athen. XI p. 473 D., 474 BC., denique de

---

[1]) In tradendo epigrammatis initio differunt Stephanus et Macrobius; sed huius lectionem tuetur codex Palatinus Anthol. XI 437.

[2]) Ad uerbum hoc scholion descripsit Suidas II p. 1702 Bernh. s. u. ψαμμακοσιογάργαρα.

[3]) De hoc libro frequenter a Stephano usurpato cf. B. Niese, de Stephani Byzantii auctoribus I. [Kiel 1873] p. 26 sqq.

scyphis Macr. V, 21, 16—19 Athen. XI p. 469 D., 470 C., 442 D., 461 F. quamuis autem haec omnia ita congruant, ut in rebus narrandis exemplisque adferendis nihil fere discrepent Macrobius et Athenaeus et nonnumquam uel ipsa uerba similia uideantur, quominus hunc ab illo compilari credam, sunt quae impediant. iam haec uide: V, 21, 13 Macrobius cissybium esse dicit ‚ex hedera factum poculum *οἷον εἰ κίσσινον*', quae uerba graeca adparet a Macrobio (siue eius auctore) ex graeco quem sequebatur fonte integra descripta esse: Athenaeus uero, qui de ipsa re consentit haec uerba non habet, sed dicit (p. 477 A.): ‚*Εὔμολπος δὲ γένος τι ποτηρίου, ἴσως, φησί, κατ' ἀρχὰς ἐκ κισσίνου κατασκευασθὲν ξύλου.*' deinde uersus Cratini fabulae *Διονυσαλέξανδρος* quos adfert Macr. V, 21, 6 non sunt apud Athenaeum, (qui de eadem re agit p. 475 A.), similiterque uersus quos e Menandri Nauclero citant et Macrobius V, 21, 15 et Athenaeus p. 474 B. integriores ille refert, cum Athenaeus in u. 5 omittat uerba *οὐδὲν οἶσθας ἄθλιε.*[1]) Porro cum locum orationis Demosthenis Midianae ita citet Athenaeus p. 481 E. ‚*τοῦ κυμβίου μνημονεύει καὶ Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου ἀκολουθεῖν αὐτῷ φάσκων ῥυτὰ καὶ κυμβία*', his haec respondent uerba Macrobii V, 21, 8: ‚meminit eius et Demosthenes in oratione quae est in Midiam: *ἀπ' ἀστράβης δὲ ὀχούμενος ἐξ Ἀργούρας τῆς Εὐβοίας, χλανίδας δ' ἐπ' ὄχου καὶ κυμβία καὶ κάδους ἔχων ὧν ἐπελαμβάνοντο οἱ πεντηκοστολόγοι*'; ubi quamuis prima uerba adcurate concinant discrepantiam grauissimam deprehendimus, cum alium uterque eiusdem orationis Midianae locum respiciat, Athenaeus § 158 (cf. Athen. XI p. 496 F.), Macrobius § 133.[2]) postremo V, 21, 18 Macrobius Cylicranos nuncupari testatur ‚*ἀπὸ τῆς κύλικος*, quod poculi genus nos una littera immutata calicem dicimus', Athenaeus huius interpretationis ignarus Cylicranorum nomen deriuat (p. 461 F.) *ἀπό τινος Κύλικος γένος Λυδοῦ, ἑνὸς τῶν Ἡρακλεῖ συστρατευσαμένων.* quae argumenta non paris omnia auctoritatis esse probe scio: nonnulla fortasse expedirentur, si integriore quam nos Athenaei exemplari Macrobium usum esse fingeremus; sed ita semper restarent quae explicari nequeant, ut ea quae ultimo loco

---

1) Dedi ex emendatione Meinekii FCGr. IIII 174.

2) Videtur haec discrepantia ita expedienda esse, ut in eo libro quem et Athenaeus et Macrobii auctor compilabant locus Demosthenis non perscriptus sed tantum indicatus fuerit.

composui. omnia uero expediuntur si ad eundem auctorem et Athenaei et Macrobii narrationes referendas esse nobis persuademus; neque in ea re offendendum est, quod tam adcurate concinere solent uerba Athenaei cum Macrobio, cum et Athenaeum et Macrobium satis anxie communis auctoris uestigia pressisse ex utriusque scriptoris indole probatum sit. iam uero cum circumspicimus communem auctorem, ipse Athenaeus cuius imprimis uiri doctrinam referat indicat compluriens in hac de poculis disputatione laudans Didymum [1]) eundemque etiam Macrobii fontem esse uerisimile est. atque ueram esse hanc suspicionem luculento testimonio efficitur. nam cum e quinque illis locis, ubi Didymi de poculis placita nominatim citantur, unus tantum ad ea genera pertineat, de quibus etiam Macrobius exposuit, hic unus ad uerbum congruit cum Macrobio: conferas Athen. p. 481 F. (de cymbio) ‚*φησὶ δὲ Δίδυμος ὁ γραμματικὸς ἐπίμηκες εἶναι τὸ ποτήριον καὶ στενὸν τῷ σχήματι παρόμοιον πλοίῳ*' cum Macr. V, 21, 9: ‚ut haec cymbia, pocula procera *(ἐπίμηκες τὸ ποτήριον καὶ στενόν)* et nauibus similia *(παρόμοιον πλοίῳ)*'. ceterum Athenaeus non ipsum Didymum [2]) adhibuisse, sed Pamphili uastis commentariis e Didymo maximam partem excerptis usus esse uidetur, quos compluriens in hoc ambitu citat. nam cum Athen. p. 487 C. dicat *παρέθετο τὰ ἰαμβεῖα καὶ Δίδυμος καὶ Πάμφιλος* Didymum e Pamphilo tantum ei notum fuisse ueri simile est; quod cur negauerit M. Schmidt l. c. p. 73 non uideo. —

Venio ad extremum libri quinti caput (V 22), quo complures loci Vergiliani breuibus adnotationibus poetarumque graecorum comparatione inlustrantur. primum (V, 22, 1—6) non temere Vergilium (Aen. XI 532, 836) unam e comitibus Dianae Opin uocasse docetur ex Alexandri Aetoli Musis, ubi ipsa Diana ita nuncupabatur: de huius narrationis, cuius similia non repperi, fonte ut certa inuestigarem non mihi contigit, idemque mihi fatendum est de V, 22, 7 (de diis urbem ante excidium relinquentibus) [3]) et V, 22, 8 (de Minerua fulminatrice). contra ipsum Didymi nomen iterum nobis occurrit V, 22, 9 sq.

---

[1]) p. 477 E. de ciborio, 481 F. de cymbio, 486 D. de lyciurgibus, 487 C. de mane, 501 E. de phiala.

[2]) Ad lexin comicam haec pertinere uidit M. Schmidt.

[3]) Similia sunt quae referuntur in schol. Aesch. Sept. 200 et 286; tamen ex his aliquid concludere non audeo.

ubi Macrobius quaerens, unde Vergilius (Georg. III 391) sumpserit fabulam de Pane Lunam lanae niueo munere pelliciente[1]), huius historiae auctorem esse dicit Nicandrum, de quo addit ‚poeta, quem Didymus, grammaticorum omnium qui sint quique fuerint instructissimus, fabulosum uocat': unde adparet non modo hanc breuem adnotationem sed totam fabulam Didymo deberi. num haec notitia apud Didymum fuerit in libro *ξένης ἱστορίας*, quod uult M. Schmidt p. 362, non certum, sed tamen probabile est. — in extrema denique capitis parte (V, 22, 11—15) comparatur uersus Verg. Aen. III 251, ubi Phoebus Apollo uaticinia a Joue patre accepisse dicitur, cum duobus Aeschyli uersibus eandem sententiam referentibus, quorum alter petitus est e fabula deperdita cui titulus erat *Ἱερεῖαι*, alter est Eumenidum u. 19; optime haec inlustrantur scholio ad Soph. OC 793, ubi non modo eadem fabula narratur sed etiam idem adhibetur exemplum Aeschyleum: ‚*δοκεῖ γὰρ ὁ Ἀπόλλων παρὰ Διὸς λαμβάνειν τοὺς χρησμοὺς ὡς καὶ ἐν Ἰφικλείᾳ φησὶ καὶ Αἰσχύλος ἐν Ἱερείαις «στέλλειν ὅπως τάχιστα, ταῦτα γὰρ πατὴρ Ζεὺς ἐγκαθιεῖ Λοξίᾳ» καὶ Ἀριστοφάνης Ἥρωσιν*'. quae cum eundem fontem redoleant atque Macrobius, haud aliter res se habere uidetur atque supra uidimus in V, 18, 13—23, scilicet ueri simile est et Macrobii et scholiastae doctrinam ad Didymum reuerti[2]), cui magnam partem scholiorum Sophocleorum, imprimis eorum quae pertinent ad Oedipum secundum doctrina insignium, deberi docuit M. Schmidt l. c. p. 270 sq.

Itaque his quinque capitibus examinatis hoc sumus adsecuti, ut ubique fere Didymeae doctrinae uestigia modo manifestiora modo obscuriora detexerimus et quamquam nonnulla restant de quibus dubitari possit, tamen hoc, opinor, nemo negabit, cum de compluribus horum capitum partibus quin e Didymo fluxerint dubitari omnino nequeat, alia cum omni probabilitatis specie ad eum referantur, satis ueri simile esse etiam pauca ea quae restant, praesertim cum eorum indoles ab iis, de quibus dictum est, minime differat, ex eodem fonte esse oriunda. quae cum ita sint, hoc tamen perspicuum est non ipsum Didymum a Macrobio compilatum esse, sed hunc ex alio scriptore illius notitiam hausisse.

---

[1]) De ipsa fabula uide quae disputauit C. Dilthey, Archaeol. Zeit. XXXI (1873) p. 73—75.

[2]) Quod uidit etiam Kettnerus, Beobacht. p. 21.

quod cum iam eo probetur, quod Didymum bis nominat Macrobius, multis etiam aliis uestigiis confirmatur. insunt enim in his capitibus res multae a Didymo prorsus alienae, sed adeo coniunctae cum Didymeis, ut haec iam in fonte Macrobii coniuncta fuisse adpareat. huc spectant paterae Plautinae cum carchesio comparatio (V, 21, 3 sq.), cymbii uocis etymologia latina (V, 21, 9), uerbi *ψαμμακόσια* a Varrone in Menippeis adhibiti mentio (V, 20, 13). sed magis quam haec ad indolem fontis a Macrobio adhibiti perspiciendam facit quod compluribus locis citantur atque perstringuntur grammatici latini, qui in Vergilio enarrando elaborauerant: sic V, 19, 2 in Annaeum Cornutum, V, 22, 9 in Valerium Probum inuehitur Macrobius, quia unde fabulam Vergilius mutuatus sit ignorauerint, similiterque compluriens castigat grammaticorum atque interpretum inscitiam, ut V, 18, 3: ‚nihil in his uersibus grammaticorum cohors discipulis suis amplius tradit, nisi . . . cur autem . . . nemo vel quaerit uel omnino subesse aliquid eruditionis suspicatur. nos id altius scrutati animaduertimus‘ etc. (cf. V, 19, 31; 21, 2; 22, 7. 12.). unde fit ueri simile Macrobii quoque auctorem fuisse Vergilii interpretem. atque egregie conuenit huic opinioni cum toto disputationis Macrobianae habitu, in qua pleraque omnia ita comparata sunt, ut nullo uerbo mutato in commentarium Vergilianum transferri possint (u. gr. V, 21, 16 sqq.). quem commentarium ut post Valerium Probum conditum fuisse statuamus ipsa Berytii apud Macrobium (V, 22, 9) mentio cogit. itaque hoc e Macrobio didicimus, post Valerii Probi aetatem fuisse grammaticum aliquem latinum, qui, cum expedire uellet quid ex reconditioribus fontibus Graecis Vergilius hauserit, non peruerso usus iudicio de ipsis rebus Graecis certiorem se fecit e Didymi grammatici celeberrimi commentariis[1]), qui omnem fere eruditionem graecam quasi per epitomen comprehendebant, atque ex iis quicquid e re esse uidebatur excerpsit, paucis adhibitis scriptoribus Romanis (ut Hygino V, 18, 16), quorum placitis

[1]) Consulto tangere nolui quaestionem, quam neque magni commodi fore neque in paruo disputationis Macrobianae ambitu ad certum finem adduci posse uidebam, utrum Didymum ipsum an epitomen aliquam Vergilii iste interpres usurpauerit. quarum altera opinio mihi uerior uidetur, cum non uerisimile sit diuersos eum Chalcenteri libros (*λέξιν τραγικὴν* et *κωμικὴν*, *ξένην ἱστορίαν* al.) adiisse atque illi tam bene conueniat cum Athenaeo, quem non Didymo sed Pamphili epitome usum esse uideri supra monui.

doctrinam Didymeam supplebat atque amplificabat. num quid certius de huius commentarii tempore inuestigari possit ualde dubium est. nam quod V, 19, 13 excitatur Carminius nihil nos iuuat, cum neque de huius grammatici aetate quicquam compertum habeamus nisi eum uixisse intra Probi et Seruii tempora (cf. O. Ribbeck, Prolegom. Vergil. p. 186), neque plane mihi constet utrum V, 19, 11—14 ex eodem fonte fluxerint atque reliqua, quibuscum non bene cohaerent, an aliunde inserta sint.[1]) speciosius fortasse testimonium quispiam arcessiuerit ex interpolatoris, qui audit, Seruii adnotatione hace (ad Georg. I 102): ‚Sane Gargara multi auctores Graeci, sicut Serenus Sammonicus tradit, altitudinem Idae montis et per hoc abusiue omnes summitates montium Gargara appellant; esse etiam Gargara ciuitatem in radicibus Idae montis in prouincia Moesia Asiae, quam constat naturaliter uliginosam et ob hoc frugum feracem, in tantum ut multi poetae Graeci Gargara abusiue pro cuiusuis rei multitudine uel copia posuerint. ergo potest et hic sensus esse ut sit, cum ea sit anni temperies ut hiems serena sit et solstitium umidum, fructus optime prouenire, haec autem adeo esse agris necessaria, ut sine his ne illi quidem fecundissimi Moesiae agri responsuri sint opinioni fertilitatis quae de his habetur‘. quae cum maximam partem ad uerbum congruant cum Macrobio (V, 20), Sereni autem Sammonici mentio ab hoc absit, in procliui est conicere Sammonicum communem esse et scholiastae et Macrobii auctorem, quem ille nominauerit, hic ex more suo reticuerit. sed neque de Sereni Sammonici[2]) studiis Vergilianis quicquam innotuit[3]) neque tota illa ratiocinatio omnibus numeris certa uidetur. non enim mihi persuasit G. Thilo (qui ceterum optime exposuit de ratione quae inter-

[1]) Contra nullus dubito, quin ex alio commentario Vergiliano, cui multa debentur libri tertii capita, insertae sint c. 20 §§ 17—18, quod arguit ridicula transitionis formula: ‚quid de Graecis in hoc loco traxerit diximus. addemus praeterea hoc iucunditatis gratia et ut liqueat Vergilium uestrum undique ueterum sibi ornamenta traxisse‘ etc. alia emblemata in his capitibus non deprehenduntur.

[2]) De quo uide Teuffelium, Roem. Litt. Gesch.[3] § 374, 4.

[3]) Quod Serenum Sammonicum interpolator Seruii et hoc loco et ad Georg. I 30 (de insula Thule) laudat, certe non ad commentarium Vergilianum spectat, sed ad librum, ut uidetur, geographicum.

cedit inter Seruium eiusque interpolatorem et Macrobium in quaestionibus Seruianis Halis a. 1867 editis) concentum saepissime obuium interpolatoris et Macrobii semper e fontium communione deriuandum esse, numquam inde, quod Macrobium scholiasta compilauerit. immo hoc alterum mihi multo magis probatur atque nostro imprimis loco ut scholion e Macrobio deriuandum esse putem moueor eo, quod interpolator (ad Georg. I 101) et ipse adfert carmen illud rusticum, quod ex alio fonte Macrobium reliquis inseruisse docui: est sane multo probabilius scholiastam utramque adnotationem e Macrobio descripsisse quam duos fontes compilauisse quibus iisdem Macrobius quoque usus sit. Sereni Sammonici mentionem fortasse alius quidam grammaticus addidit, cum omnino haec interpolatoris scholia non ab uno homine profecta uideantur, sed a diuersis diuersarum aetatum grammaticis, ita ut saepe in singulis scholiis complurium manus liceat detegere. itaque hoc testimonio abstinere praestabit. solam probabilitatem si spectas potius ueri simile est non ita multo post Probi aetatem Macrobii fontem conditum esse atque ea imprimis aetate, qua uigebat ista studiorum graecorum latinorumque coniunctio, qualem illa Macrobii capita prae se ferunt, dico Hadriani praecipue imperatoris aeuum. denique hoc breuiter monuisse sufficiat, Macrobii fontem uix fuisse commentarium perpetuum, sed libellum ad res magis dispositum, quo inquirebatur, quid ‚de Graecarum litterarum penetralibus' Vergilius deprompserit.

Restat ut hoc commentario Seruium[1]) non usum esse significem: nam in rebus plerisque omnibus, de quibus agit Macrobius V 18—22, referendis aut grauiter ab eo discrepat aut quae illi adnotatione digna uisa erant omittit: cuius scholia plerisque locis interpolator e Macrobio, ut opinor, aut corrigit aut supplet. sic Acheloum omnem aquam ueteres dixisse Orphei auctoritate adfirmat Seru. Georg. I 9, Aristophanis Ephori Euripidis Didymi Macr. V, 18, 1—13; Hernicorum nomen ab Hernico duce deriuat Macr. V, 18, 15, a saxis quae Sabinorum lingua hernae uocentur

[1]) de Seruii locis ut certe iudicare potuerim egregiae Georgii Thilonis et Hermanni Hageni comitati debeo, qui quid in libris mss. traditum sit, quid ad Seruium, quid ad interpolatorem pertineat rogati per litteras benigne mecum communicauerunt. quibus hoc quoque loco debitas gratias agere iucundum est.

Seru. Aen. VII 684; crinis abscidendi munus Macr. V, 19, 4 Orco tribuit, Seru. Aen. IIII 694 Mercurio; Palicorum mater Macrobio V, 19, 18 audit Thalia, contra Seruio (ad Aen. VIIII 584) Aetna[1]); fabulam de Pane et Luna, quam e Nicandro deducit Macr. V, 22, 9 sq., ignorat Seru. Georg. III 391, cum dicat Vergilium immutare fabulam, quia non Pan sed Endymio Lunam amauerit. de reliquis rebus de quibus exponit Macrobius nihil adnotat Seruius. itaque hoc certum esse uidetur non fuisse inter Seruii fontes librum illum Didymea doctrina refertum quo usus est Macrobius. sed est tamen ubi concinant Vergilii interpres Saturnaliorumque scriptor: Acheloum omnem aquam esse uterque testatur (Macr. V, 18, 1—13. Seru. Georg. I 9), idemque consentiunt de Hernicis sinistro pede nudis (Macr. V, 18, 13 sqq. Seru. Aen. VII 690), ad inlustrandum crinis abscidendi morem Euripidem uterque excitat (Macr. V, 19, 4. Seru. Aen. IIII 694. III 46), quae de Palicis disputant Macr. V, 19, 15 sqq. et Seru. Aen. VIIII 584 multa habent similia. qualem inter tot discrepantias concentum uix aliter expediueris, nisi ut ex docto illo libro quem adhibuit Macrobius nonnulla in tralaticium scholiorum Vergilianorum riuum abiisse censeas, per quem uariis uariorum additamentis infecta atque immutata usque ad Seruium propagata sunt.

[1]) utramque fabulae narrationem exhibet Steph. Byzant. s. u. *Παλική*.

Georgius Wissowa de uita sua.

Natus sum Georgius Otto Augustus Wissowa a. d. XV Kal. Quint. a. h. s. LVIIII Vratislauiae Ottone Wissowa Lonny Seydel parentibus, e quibus illum decem abhinc annis acerbo fato mihi ereptum lugeo, hanc uiuam debita pietate prosequor diuque superstitem fore spero. fidei addictus sum catholicae. primis ingenuarum litterarum rudimentis a matre imbutus Gymnasium adii quod est in hac urbe ad aedem S. Matthiae, quod tum Augusti Wissowa aui dilectissimi auspiciis regebatur, nunc A. J. Reisackero directore gaudet. cursu gymnasii rite peracto maturitatis testimonio munitus autumno a. h. s. LXXVI a uiro inlustrissimo Martino Hertz, penes quem tum fasces erant, inter ciues huius Uniuersitatis receptus sum ibique per septiens sex menses studiis philologicis incubui docentibus me uiris doctissimis Dilthey Hertz Kaibel Ludwich Neumann Partsch Reifferscheid Rossbach A. Schultz Stenzler Strasser. in seminarium regium philologicum, cuius per bina semestria sodalis fui et extraordinarius et ordinarius, ut reciperer Martini Hertz Augusti Reifferscheid beneficio factum est; praeterea ut exercitationibus ab ipsis institutis interessem benigne concesserunt Ludwich Kaibel philologi, Partsch historicus. quibus uiris omnibus, ut quisque optime de me meritus est, summas ago gratias. imprimis uero Martinus Hertz Augustus Reifferscheid, quibus mox tertius accessit Georgius Kaibel, adeo me deuinxerunt prorsus singulari beneuolentia, ut nihil mihi magis agendum esse sciam, quam ut talium uirorum beneficiis non plane indignus uidear.

Sententiae controuersae.

I. Aeschyl. Prometh. u. 698 sq. Joni uindicandi sunt.

II. Antiphon V 38 sic scripsit: ,ἐμοὶ δήπου κατὰ τούτων εἶναι χρὴ τὰ αὐτὰ *ταῦτα* τεκμήρια'. cf. I 11. 12. VI 27.

III. Antiph. V 42 legendum est: ,τούτοις *δὴ* διεφέρετο'. cf. V 33. VI 34. 37 sq.

IIII. Apud Lysiam XVI 5 iniuria pro interpolatis haberi solent uerba καὶ τοῖς ἀποδημοῦσι; immo his seruatis delenda sunt ea quae proxime sequuntur καὶ τοῖς μηδὲν ἐξαμαρτάνουσι.

V. Terent. Andr. u. 386 immerito editores spreuerunt lectionem traditam

,ut ab illa excludar, *hac* concludar'.

VI. Terent. Andr. u. 336 sq. legas

At tu hercle haud quicquam mihi
Nisi ea, quae nil opus sunt, *stipes*! fugin hinc. BY.
Ego uero ac lubens.

VII. Quam legem de formis in -aueram -eueram rel. a. Terentio nisi in fine uersuum non adhibitis indagauit C. Conradt (Herm. X 104 sqq.), eadem non minus teneri contendo formas in -auissem, -euissem rel.

VIII. Senecae patris codex Toletanus etiam in eis quae praebet a prima manu exarata interpolationibus scatet.

VIIII. Apud Senec. controu. I, 2, 20 (p. 91, 25 K.) legas: ,adulescentem misericordis populi beneficium polluere temptantem gladio *perculit*.'

X. Senec. controu. I, 1, 14 (p. 75, 4 K.) scripsisse uidetur: ,quid si uetes propter aliquod honestum factum periclitanti *studere*'.

XI. Seru. Aen. I 305 (p. 111, 19 Thilo) legendum censeo: ,*hinc* ergo *decus* apicis, quod insigne flaminum fuit.'

XII. Seru. Aen. III 693 (p. 454, 14 Th.) haec est genuina lectio: ,undosum uero, quod usque illuc uertigo (codd. uestigio) aestuantis Charybdis dicitur peruenire.'

XIII. Seru. Aen. VIII 395 legas: ,ex alto] nimirum est hoc libere et solide promittentis' rel.

XIIII. Epigramma anthol. latin. 681 R. ita restituo:

,Coniugis integrae basium, óscula dantur amicis
Sauia lasciuis miscentur grata labellis'.

XV. Anthol. lat. 197, 6 R. fortasse legendum est:

,Auriga, ut Phoebus, quattuor arcet equos.'